

tiam Sabinum ita accipiendam existimasse, refert: non deperditi, & nimium securi 8 hominis.

*De usucapione.*

4. IDEM lib. 13. ad Sabinum.

Juris ignorantiam in usucapione negatur 9 prodesse: facti vero ignorantiam prodesse constat.

*De scientia, vel ignorantia alterius.*

5. TERENCEUS CLEMENS lib. 2. ad Legem Juliam, & Papiam.

Iniquissimum videtur, cuiquam scientiam alterius, quam suam nocere: vel ignorantiam alterius alii profuturam.

*Quæ scientia facti requiritur.*

6. ULPIANUS lib. 18. ad Leg. Jul. & Pap.

Nec supina 10 ignorantia ferenda est factum ignorantis, (ut) nec scrupulosa 11 inquisitio exigenda. Scientia enim hoc modo æstimanda est, ut neque negligentia crassa, aut nimia securitas satis expedita sit, neque delatoria curiositas exigatur.

*De lucro, & damno.*

7. PAPIANUS lib. 19. Quæstionum.

Juris 12 ignorantia non prodest acquirere volentibus; suum vero petentibus non nocet.

8. IDEM lib. 1. Definitionum.

Error facti ne maribus quidem in damnis, vel compendiis obest: juris autem error nec 13 feminis in compendiis 14 prodest. Ceterum omnibus juris error in damnis amittendæ rei suæ non nocet.

*De ignorantia juris. De minore. 1. De militibus. 2. Quæ scientia facti requiritur. 3. Quibus casibus juris ignorantia non prodest. 4. De eo, qui falso putat se a non domino emere. 5. De lege Falcidia, & conditione indebiti.*

9. PAULUS lib. singul. de juris, & facti ignorantia.

Regula est, juris 15 quidem ignorantiam cuique nocere, facti vero ignorantiam non nocere. Videamus igitur in quibus speciebus locum habere possit: ante præmissis, quod minoribus 16 viginti-quinque annis (jus) ignorare permissum est: quod & (in) feminis 17 in quibusdam causis propter sexus infirmitatem dicitur: & ideo sicubi non est delictum, sed juris ignorantia, non læduntur. Hac ratione, si minor viginti-quinque annis filiofamilias 18 crediderit, subvenitur ei, ut non videatur filiofamilias credidisse. §. 1. Si filiofamilias miles a commilitone heres institutus, nesciat, sibi etiam sine patre licere adire, per Constitutiones Principales jus ignorare potest: & ideo ei dies aditionis (non) ce-

dit. §. 2. Sed facti ignorantia ita demum cuique non nocet, si non ei summa negligentia objiciatur: quid enim, si omnes in civitate sciant, quod ille solus 19 ignorat? Et recte Labeo definit: scientiam neque curiosissimi, neque negligentissimi hominis accipiendam: verum ejus, qui eam rem, diligenter inquirendo, notam habere possit. §. 3. Sed juris ignorantiam non prodesse, Labeo ita accipiendum existimat, si jurisconsulti 20 copiam haberet, vel sua prudentia instructus sit: ut cui facile sit scire, ei detrimento sit juris ignorantia: quod raro accipiendum est.

§. 4. Qui ignoravit dominum esse rei venditorem, plus in re 21 est, quam in existimatione mentis: & ideo, tametsi existimet, se non a domino emere, tamen, si a domino ei tradatur, dominus efficitur. §. 5. Si quis jus ignorans, Lege 22 Falcidia usus non sit, nocere ei dicit epistola Divi Pii. Sed & Imperatores Severus, & Antoninus in hæc verba rescripserunt: Quod ex causa fideicommissi indebitum datum est, si non per errorem 23 solutum est, repeti non potest. Quamobrem Cargiliani heredes, qui, cum ex testamento ejus pecuniam ad opus aquæductus reipublicæ Cirtensium relictum solverint, non solum cautiones non exegerunt, quæ interponi solent, ut quod amplius cepissent municipes, quam per Legem Falcidiam licuisset, redderent, verum etiam stipulati sunt, ne ea summa in alios usus converteretur, & scientes prudentesque passi sunt eam pecuniam in opus aquæductus impendi: frustra postulant reddi sibi a Republica Cirtensium, quasi plus debito dederint: cum sit utrumque iniquum, pecuniam, quæ ad opus aquæductus data est, repeti; & Rempublicam ex corpore patrimonii sui impendere, (&) in id opus, quod totum alienæ liberalitatis gloriam repræsentet. † Quod si ideo repetitionem ejus pecuniæ habere credunt, quod imperitia lapsi, legis Falcidiæ beneficio usi non sunt: sciant, ignorantiam facti, non juris prodesse: nec multis solere succurri, sed errantibus. † Et licet municipum mentio in hac epistola fiat, tamen & in qualibet persona idem observabitur. Sed nec, quod in opere aquæductus relicta esse pecunia proponitur, in hunc solum casum cessare repetitionem dicendum est: nam initium constitutionis generale est: demonstrat enim, si non per errorem solutum sit fideicommissum, quod indebitum fuit, non posse repeti. † Item & illa pars æque generalis est, ut qui juris ignorantia legis Falcidiæ beneficio usi non sunt 24, (nec) possint repetere: ut secundum hoc possit dici, etiam si pecunia, quæ per fideicommissum relicta est, quæque soluta est, non ad aliquid faciendum relicta sit: & licet consumpta non sit, sed exstet apud eum, cui soluta est, cessare repetitionem.

*De pupillis.*

10. PAPIANUS lib. 6. Responsorum.

Impuberes sine tutore agentes, nihil posse scire intelliguntur.

(19. l. 11. §. 3. supr. de instit. act. (20. v. l. 10. in fin. infr. de bonor. possess. l. 2. in fin. infr. quis ordo in possess. (21. §. 11. Inst. de legat. immo vide l. 15. infr. de acquir. vel amitt. hered. (22. l. 9. C. ad leg. Falcid. (23. l. 7. C. de condit. indeb. (24. d. l. 9.

## LIBER VICESIMUS TERTIUS.

TIT. I.

DE I SPONSALIBUS.

*Definitio.*

1. FLORENTINUS lib. 3. Institutionum.

Sponsalia sunt mentio, & repromissio nuptiarum futurarum.

*Etymologia.*

2. ULPIANUS lib. sing. de Sponsalibus.

Sponsalia (autem) dicta sunt a spondendo: nam moris fuit veteribus stipulari, & spondere sibi uxores futuras.

3. FLORENTINUS lib. 3. Institutionum.

Unde & sponsi, sponsæque appellatio nata est.

*De nudo consensu. 1. De absentibus.*

4. ULPIANUS lib. 35. ad Sabinum.

Sufficit nudus consensus ad constituenda sponsalia. §. 1. Denique constat, & absentem 2 absentem desponderi posse: & hoc quotidie fieri.

5. POMPONIUS lib. 16. ad Sabinum.

Hæc ita, si scientibus his, qui absint, sponsalia fiant: aut si postea ratum habuerint.

*De auctoritate tutoris.*

6. ULPIANUS lib. 36. ad Sabinum.

Si puellæ tutores ad finienda sponsalia nuncium miserunt, non putarem suffectorum ad dissolvendam nuptiarum spem 3 hunc nuncium: non magis, quam sponsalia posse eos solos constituere: nisi forte omnia ista ex voluntate puellæ facta sint.

*De scriptura. 1. Quorum consensus requiritur.*

7. PAULUS lib. 35. ad Edictum.

In sponsalibus nihil interest, utrum testatio interponatur, an aliquis sine 4 scriptura spondeat. §. 1. In sponsalibus etiam consensus eorum exigendus est, quorum in nuptiis 5 desideratur. Intelligi tamen semper filia patrem consentire, nisi evidenter dissentiat, Julianus scribit.

TIT. I. (1. Lib. 5. C. 1. (2. l. ult. infr. h. t.

(3. l. 13. §. 3. infr. ad leg. Jul. de adult. (4. Adde l. 9. C. de nupt. (5. l. 2. infr. de ritu nupt.

De

*De furore.*

8. GAJUS lib. 11. ad Edictum provinciale.

**F**uror quin sponsalibus 6 impedimento sit, plus quam manifestum est: sed postea interveniens sponsalia non infirmat.

*De sponsalibus in tempus præmaturum collatis.*

6. ULPIANUS lib. 35. ad Edictum.

**Q**uæsitum est apud Julianum, an sponsalia sint ante duodecimum annum, si fuerint nuptiæ collatæ? Et semper Labeonis 7 sententiam probavi, existimantis, si quidem præcesserint sponsalia, durare ea, quamvis in domo loco nuptiæ esse cœperit; si vero non præcesserint, hoc ipso, quod in domum deducta est, non videri sponsalia facta. Quam sententiam Papinianus quoque probat.

*De filia in potestate, vel emancipata.*

10. IDEM lib. 3. Disputationum.

**I**n potestate manente filia, pater sponso nuncium remittere potest 8, & sponsalia dissolvere; enimvero si emancipata est, non potest neque nuncium remittere, neque, quæ dotis causa data sunt, condicere: ipsa enim filia nubendo efficiet dotem esse, conditionemque extinguet, quæ, causa non secuta, nasci poterit: nisi forte quis proponat, ita dotem patrem pro emancipata filia dedisse, ut si nuptiis non consentiret (vel contractis, vel non contractis,) repeteret, quæ dederat: tunc enim habebit repetitionem.

*De consensu contrahentium.*

11. JULIANUS lib. 16. Digestorum.

**S**ponsalia, sicut nuptiæ, consensu contrahentium fiunt; & ideo, sicut nuptiis, ita sponsalibus filiamfamilias 9 consentire oportet:

12. ULPIANUS lib. singul. de Sponsalibus.

**S**ed, quæ patris voluntati non repugnat, consentire intelligitur. §. 1. Tunc autem solum dissentienti a patre licentia filia conceditur, si indignum moribus, vel turpem sponsum ei pater obligat.

13. PAULUS lib. 5. ad Edictum.

**F**iliofamilias dissentiente, sponsalia nomine ejus fieri non possunt.

*De ætate.*

14. MODESTINUS lib. 4. Differentiarum.

**I**n sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, ut in matrimoniis: quapropter (&) a primordio ætatis sponsalia effici possunt; si modo id fieri ab utraque persona intelligatur: id est, si non sint minores, quam septem 10 annis.

*De pupilla, & tutore, & filio tutoris.*

15. IDEM lib. singul. de enucleatis casibus.

**T**utor factam pupillam suam nec ipse uxorem ducere, nec filio suo in matrimonio adungere potest. 11 Scias tamen, quod de nuptiis tractamus, & ad 12 sponsalia pertinere.

*De prohibitione nuptiarum extendenda ad sponsalia.*

16. ULPIANUS lib. 3. ad Legem Juliam, &amp; Papiam.

**O**ratio Imperatorum Antonini, & Commodi, quæ quasdam nuptias in personam Senatorum inhibuit, de sponsalibus nihil locuta est: recte tamen dicitur, etiam sponsalia in his casibus ipso jure nullius esse momenti, ut suppleatur, quod Orationi deest.

*De dilatione sponsaliorum.*

17. GAJUS lib. 1. ad Legem Juliam, &amp; Papiam.

**S**epe justæ, ac necessariæ causæ non solum annum, vel biennium, sed etiam triennium, & quadriennium, & ulterius trahunt sponsalia: veluti valetudo sponsi, sponsæve, vel mortes parentum, aut capitalia crimina, aut longiores peregrinationes, quæ ex necessitate fiunt.

*Quibus modis fiunt sponsalia.*

18. ULPIANUS lib. 6. ad Edictum.

**I**n sponsalibus constituendis parvi refert, per se & coram, an per internuncium 13, vel per epistolam, an per alium hoc factum est, & fere plerumque conditiones, interpositis personis, (expediuntur).

(6. Adde l. 16. in fin. infr. d. t. (7. l. 32. §. 27. infr. de donat. inter vir. & uxor. (8. l. 2. in fin. infr. de divort. (9. l. 5. l. 7. in fin. supr. h. t. (10. Nov. Leon. 109. (11. l. 59. infr. de ritu nupt. & tit. C. de interd. matrim. inter pupill. & tut. vide tamen l. 36. infr. de ritu nupt. (12. l. 60. §. 5. infr. d. t. (13. l. 4. §. 1. supr. h. t. Fac. l. 2. in pr. supr. de pact. l. 14. in fin. supr. de constit. pecun.

## TIT. II.

## DE RITU NUPTIARUM 1.

*Definitio nuptiarum.*

1. MODESTINUS lib. 1. Regularum.

**N**uptiæ sunt 2 conjunctio maris, & femine, (&) consortium omnis vitæ, divini 3, & humani juris communicatio.

*De consensu coeuntium, & parentum.*

2. PAULUS lib. 35. ad Edictum.

**N**uptiæ consistere non possunt, nisi consentiant omnes: id est qui coeunt, quorumque 4 in potestate sunt.

*De patruelibus.*

3. IDEM lib. 1. ad Sabinum.

**S**i nepotem ex filio, & neptem ex altero filio in potestate habeam: nuptias inter eos (me) solo 5 auctore contrahi posse, Pomponius scribit, & verum est.

*De ætate.*

4. POMPONIUS lib. 3. ad Sabinum.

**M**inorem annis duodecim nuptam, tunc legitimam uxorem fore, cum 6 apud virum expleisset duodecim annos.

*De absentia.*

5. IDEM lib. 4. ad Sabinum.

**M**ulierem absenti per literas ejus, vel per nuncium posse nubere placet, si in domum ejus deduceretur: eam vero, quæ abesset, ex literis, vel nuncio (suo) duci a marito non posse: deductione enim opus esse in mariti, non in uxoris domum: quasi in domicilium matrimonii.

6. ULPIANUS lib. 35. ad Sabinum.

**D**enique Cinna scribit: eum, qui absentem accepit uxorem, deinde rediens a cœna juxta Tiberim perisset, ab uxore lugendum, responsum est.

7. PAULUS lib. singulari ad Legem Falcidiam.

**I**deoque potest fieri, ut in hoc casu aliqua virgo & dotem, & de dote habeat actionem.

*De servili cognatione.*

8. POMPONIUS lib. 5. ad Sabinum.

**L**ibertinus 7 libertinam matrem, aut sororem uxorem ducere non potest: quia hoc jus moribus, non legibus introductum est.

*De furore avi, vel patris. 2. De patre captivo, vel absente.*

9. ULPIANUS lib. 26. ad Sabinum.

**S**i nepos uxorem velit ducere avo furente, omnimodo patris auctoritas erit necessaria: sed si pater furit, avus sapiat, sufficit avi voluntas. §. 1. Is, cujus pater ab hostibus captus est, si non intra triennium 8 revertatur, uxorem ducere potest.

10. ULPIANUS lib. 35. ad Edictum.

**S**i ita pater absit, ut ignoretur, ubi sit, & an sit: quid faciendum est, merito dubitatur? Et, si triennium effluxerit, postquam apertissime fuerit pater ignotus, ubi degit, & an superstes sit, non prohibentur liberi (ejus) utriusque sexus, matrimonium, vel nuptias legitimas contrahere.

11. JULIANUS lib. 62. Digestorum.

**S**i filius ejus, qui apud hostes est, vel absit, ante triennium captivitatis, vel absentie patris uxorem duxit; vel si filia nupserit; puto recte matrimonium, vel nuptias contrahi, dummodo eam filius ducat uxorem, vel filia tali nubat, cujus conditionem certum sit, patrem non repudiaturum.

*Si quis arroget maritum ejus quam repudiaverat. 1. De sponse patris, 2. Vel filii. 3. De filia uxoris post divortium suscepta. 4. De cognatione per adoptionem.*

12. ULPIANUS lib. 26. ad Sabinum.

**S**i qua mihi uxor fuit, deinde a me repudiata nupsit Sejo, quem ego postea adrogavi, non sunt nuptiæ incestæ. §. 1. Inter me, & sponsam 9 patris mei nuptiæ contrahi non possunt: quamquam noverca mea non proprie dicatur. §. 2. Sed & per contrarium, sponsa 10 mea patri meo nubere non poterit: quamvis nurus non proprie dicatur. §. 3. Si uxor mea post divortium alii nupserit, & filiam susceperit, putat Julianus hanc 11 quidem privignam non esse: verum nuptiis ejus abstinendum. §. 4. Adoptivæ 12 so-

TIT. II. (1. Lib. 5. C. 4. Lib. 1. Inst. 10. (2. l. 1. §. 3. supr. de justit. & jure §. 1. Inst. de patr. potest. Inst. de jure natur. gent. & civil. in pr. (3. Adde l. 4. C. de crimine expil. hered. (4. l. 12. in fin. C. in pr. Inst. de nupt. adde l. 18. infr. h. t. (5. Vide tamen l. 16. §. 1. infr. eod. (6. v. l. 10. infr. de condit. & demonstr. l. 13. §. 8. infr. ad leg. Jul. de adult. (7. v. l. 14. §. 2. infr. h. t. (8. Adde l. 11. infr. eod. l. 12. §. 3. infr. de capt. & postlim. (9. §. 9. Inst. de nupt. (10. d. §. 9. (11. d. §. 9. (12. §. 5. in fin. Inst. eod.

roris filiam possum uxorem ducere: cognata enim mea non est filia ejus, quia avunculus 13 nemo fit per adoptionem; & ea deum cognationem contrahuntur in adoptionibus, quae legitimae essent: id est, quae 14 agnatorum jus haberent. Pari ratione & sororem patris mei adoptivi possum ducere, si non fuit eodem patre nata.

*De patrona ignobili.*

13. IDEM lib. 34. ad Sabinum.

**S**i patrona tam ignobilis 15 sit, ut ei honestae sint, vel (saltem) liberti sui nuptiae, officio iudicis super hoc cognoscentis haec prohiberi non debent.

*De uxore quondam patris, 1. Vel filii adoptivi. 2. De servili cognatione, 3. Vel affinitate. 4. Noverca, privigna, socrus, nurus quomodo accipiuntur.*

14. PAULUS lib. 35. ad Edictum.

**A**doptivus filius si emancipetur, eam, quae patris adoptivi uxor fuit, ducere non potest: quia noverca locum habet 16.

§. 1. Item si quis filium adoptaverit, uxorem ejusdem, quae nurus loco est, ne 17 quidem post emancipationem filii ducere poterit: quoniam aliquando nurus ei fuit. §. 2. Serviles quoque cognationes (in) hoc 18 jure observandae sunt. Igitur suam matrem manumissus non ducet uxorem. Tantumdem juris est, & in sorore, & sororis 19 filia. Idem e contrario dicendum est, ut pater filiam non possit ducere, si ex servitute manumissi sint: etiam dubitetur, patrem eum esse. † Unde nec vulgo quaesitam filiam pater naturalis potest uxorem ducere: quoniam \* in contrahendis matrimoniis naturale jus, & pudor inspiciendus est; contra pudorem est autem filiam uxorem suam ducere. §. 3. Idem tamen, quod in servilibus cognationibus constitutum est, etiam in servilibus adfinitatibus servandum est: veluti, ut eam, quae in contubernio 20 patris fuerit, quasi novercam, non possim ducere; & contra, eam, quae in contubernio filii fuerit, patrem quasi nurum non ducere. Aequae nec matrem ejus, quam quis in servitute uxorem habuit, quasi socrum; cum enim cognatio servilis intelligitur, quare non & adfinitas intelligatur? Sed in re dubia certius, & modestius est, hujusmodi nuptiis abstinere. §. 4. Nunc videamus, quomodo noverca, & privigna, & socrus, & nurus intelligantur: ut sciamus, quas non liceat ducere. † Quidam novercam per se patris uxorem, & nurum filii uxorem, & privignam uxoris ex alio marito filiam intelligunt 21. Sed quod ad hanc causam, verius est, nec avi uxorem, nec proavi duci posse. Duas ergo, vel plures novercas ducere non poterit: non mirum: nam & is, qui adoptivus est, nec naturalis patris, nec adoptivi 22 uxorem ducere potest. (Sed) & si plures uxores pater habuerit, nullam earum ducere possum. † Itaque socrus appellatione non tantum uxoris meae mater, sed & avia, & proavia intelligitur, ut nullam earum ducere possum. † Nurus quoque appellatione non tantum filii uxor, sed & 23 nepotis, & pronepotis continetur: licet quidam has pronurus appellant. † Privigna quoque non solum ea mihi intelligitur, quae uxoris meae filia est, sed & neptis 24, & proneptis: ut nullam earum ducere possum. Item ejus matrem, quam sponsam habui, non posse me uxorem ducere, Augustus interpretatus est: fuisse enim eam socrum 25.

*De uxore quondam privigni. De marito quondam privigni.*

15. PAPIANUS lib. 4. Responsorum.

**U**xorem quondam privigni conjungi matrimonio vitrici non oportet: nec in matrimonium convenire novercam ejus, qui privigni maritus fuit.

*Si filia Senatoris libertino nupserit. 1. De nepote, & nepte. 2. De furore.*

16. PAULUS lib. 35. ad Edictum.

**O**ratione Divi Marci cavetur, ut si Senatoris 26 filia libertino nupserit, nec nuptiae essent: quam & Senatusconsultum secutum est. §. 1. Nepote uxorem ducente, & filius 27 consentire debet: neptis vero si nubat, voluntas, & auctoritas avi sufficiet.

(13. Immo vide l. 17. in fin. infr. h. tit. (14. v. l. 23. supr. de adopt. 15. l. 47. infr. h. tit. (16. Vide tamen l. 23. supr. de adopt. (17. §. 1. in fin. Inst. de nupt. (18. l. 8. supr. h. tit. §. 10. Inst. de nupt. (19. l. 56. infr. h. tit. (20. v. l. 3. C. de incest. & inutil. nupt. (21. l. 4. §. 6. infr. de grad. & affin. (22. l. 14. in pr. supr. h. tit. (23. l. 6. in pr. infr. de grad. & affin. (24. l. 40. infr. h. tit. (25. l. 6. in fin. l. 8. infr. de grad. & affin. l. 4. infr. ad leg. Pompej. de parricid. Obst. §. 9. Inst. de nupt. (26. l. 34. §. ult. l. 42. §. 1. infr. h. tit. l. 9. supr. de senator. (27. Immo vide l. 3. supr. h. tit.)

§. 2. Furor 28 contrahi matrimonium non finit: quia consensu opus est: sed recte contractum non impedit.

*De fraternitate per adoptionem. 1. De adoptione generi, vel nurus. 2. De amita, matertera, amita magna, matertera magna.*

17. GAJUS lib. 11. ad Edictum provinciale.

**P**er adoptionem quaesita fraternitas eousque impedit nuptias, donec 29 manet adoptio. Ideoque eam, quam pater meus adoptavit, & emancipavit 30, potero uxorem ducere: aequae & si, me emancipato, illam in potestatem retinuerit, poterimus jungi matrimonio. §. 1. Itaque volenti 31 generum adoptare suadetur, ut filiam emanciparet: similiter suadetur ei, qui nurum vellet adoptare, ut emancipet filium. §. 2. Amitam 32 quoque, & materteram, item magnam 33 quoque amitam, & materteram magnam prohibemur uxorem ducere; quamvis magna amita, & matertera, quarto 34 gradu sint. Utique autem amitam, & amitam magnam prohibemur uxorem ducere, & si per adoptionem 35 nobis conjunctae sint.

*De nuptiis renovatis, & consensu parentum.*

18. JULIANUS lib. 16. Digestorum.

**N**uptiae inter easdem personas nisi volentibus parentibus renovatae 36, iustae non habentur.

*De patribus cogendis in matrimonium collocare.*

19. MARCIANUS lib. 16. Institutionum.

**C**apite trigesimoquinto Legis Juliae: Qui liberos, quos habent in potestate, injuria prohibuerint ducere uxores, vel nubere: (vel qui dotem dare non volunt, ex Constitutione Divorum Severi, & Antonini), per Proconsules, Praesidesque provinciarum coguntur in matrimonium collocare, & dotare 37. Prohibere autem videtur, & qui conditionem non quaerit.

*De auctoritate curatoris.*

20. PAULUS lib. singul. ad Orationem Divi Severi, & Commodi.

**S**ciendum est, ad officium curatoris (non) 38 pertinere, nubat pupilla, an non: quia officium ejus in administratione negotiorum constat: (Et) ita Severus, & Antoninus rescripserunt, in haec verba: Ad officium curatoris administratio pupillae pertinet: nubere autem pupilla suo arbitrio potest.

*De consensu filii familias.*

21. TERENCEIUS CLEMENS lib. 3. ad Legem Juliam, & Papiam.

**N**on cogitur 39 filius familias uxorem ducere.

22. CELSUS lib. 15. Digestorum.

**S**i patre cogente ducit uxorem, quam non duceret, si sui arbitrii esset, contraxit tamen matrimonium, quod inter invito non contrahitur, maluisse hoc videtur.

*De libertina.*

23. IDEM lib. 30. Digestorum.

**L**ege Papia 40 cavetur, omnibus ingenuis, praeter Senatores 41, eorumque liberos, libertinam uxorem habere licere.

*De praesumptione nuptiarum.*

24. MODESTINUS lib. 1. Regularum.

**I**n liberae mulieris consuetudine non concubinitas 42, sed nuptiae 43 intelligendae sunt: si non corpore quaesitum fecerit.

*De filio emancipato.*

25. IDEM lib. 2. Regularum.

**F**ilius emancipatus etiam sine 44 consensu patris uxorem ducere potest, & susceptus filius ei heres erit.

*De rea adulterii.*

26. IDEM lib. 5. Responsorum (respondit).

**R**ea adulterii factas, nec ante damnationem vivente marito uxores duci posse.

(28. l. 8. in pr. supr. de his, qui sui, vel alieni jur. l. 8. supr. de sponsal. (29. §. 2. vers. sed si quis. Inst. de nupt. (30. l. 5. infr. de grad. & affin. l. 35. §. 1. infr. de verb. oblig. l. 9. in fin. infr. de liber. & posthum. (31. §. 2. in fin. Inst. de nupt. (32. l. 17. C. eod. (33. §. 5. Inst. eod. (34. l. 1. §. 6. l. 10. §. 15. infr. de grad. & affin. (35. §. 5. Inst. de nupt. Immo vide l. 12. in fin. supr. h. tit. (36. l. 7. C. de nupt. adde l. 2. supr. h. tit. (37. l. ult. vers. neque enim leges. C. de dot. promiss. (38. l. 8. C. de nupt. adde l. 6. supr. de spons. (39. l. 12. l. 14. C. de nupt. Vide tamen l. 22. infr. h. tit. (40. l. 28. C. de nupt. (41. Hoc abrogat. Nov. 78. c. 3. (42. l. 3. in pr. infr. de concubin. (43. Vide tamen Nov. 74. c. 5. (44. l. 3. §. 5. infr. de bonor. possess. contra tab.)

*Si senator libertinam duxerit.*

27. ULPIANUS lib. 3. ad Legem Juliam, & Papiam.

Si quis in senatorio ordine agens libertinam habuerit uxorem, quamvis interim uxor non sit, attamen in ea conditione est, ut, si amiserit dignitatem, uxor esse incipiat.

*De liberta recusante nuptias patroni.*

28. MARCIANUS lib. 10. Institutionum.

Invitam 45 libertam uxorem ducere patronus non potest:

29. ULPIANUS lib. 3. ad Legem Juliam, & Papiam.

Quod & Attejus Capito Consulatu suo fertur decrevisse. Hoc tamen ita observandum est, nisi 46 patronus ideo eam manumiserit, ut uxorem eam ducat.

*De nuptiis simulatis.*

30. GAJUS lib. 2. ad Legem Juliam, & Papiam.

Simulatae 47 nuptiae nullius momenti sunt.

*Si Senator permissu Principis libertinam duxerit.*

31. ULPIANUS lib. 6. ad Legem Juliam, & Papiam.

Si Senatori, indulgentia principis, fuerit permissum, libertinam justam uxorem habere, potest justa uxor esse.

*De libertino arrogato ab ingenuo.*

32. MARCELLUS lib. 1. ad Legem Juliam, & Papiam.

Sciendum est, libertinum, qui se ingenuo dedit adrogandum, quamvis in ejus familia ingenui (†) jura sit consecutus, ut libertinum tamen a Senatoriis nuptiis repellendum esse.

*De redintegrato matrimonio.*

33. IDEM lib. 3. ad Legem Juliam, & Papiam.

Plerique opinantur, cum eadem mulier ad eundem virum revertatur, id matrimonium idem esse. Quibus adsentior, si non 48 multo tempore interposito reconciliati fuerint: nec inter moras aut illa alii nupserit, aut hic aliam duxerit, maxime si nec dotem vir reddiderit.

*De generali mandato quaerendi mariti. 1. De rea adulterii.*

2. *De comprivignis. 3. Si pater ejus, quae libertino nupserit, Senatu moveatur.*

34. PAPIANUS lib. 4. Responsorum.

Generali mandato quaerendi mariti filiaefamilias, non fieri nuptias, rationis est. Itaque personam ejus patri demonstrari, qui matrimonio consenserit, ut nuptiae contrahantur, necesse est.

§. 1. Ream adulterii, quam vir jure mariti postulavit, non prohibetur post abolitionem uxorem denuo ducere: sed & si non jure mariti ream postulavit, jure contractum matrimonium videbitur. §. 2. Inter privignos 49 contrahi nuptiae possunt, etsi fratrem communem ex novo parentum matrimonio susceptum habeant. §. 3. Filiam Senatoris nuptias libertini 50 secutam, patris casus 51 non faciat uxorem: nam quaesita dignitas liberis, propter crimen 52 patris auferenda (non) est.

*De filiofam. milite.*

35. IDEM lib. 6. Responsorum.

Filiafamilias miles 53 matrimonium sine patris voluntate non contrahit.

*De adulta, tutore, vel curatore, l. 37. vel liberto Curatoris.*

36. PAULUS lib. 5. Quaestionum.

Tutor, vel curator adultam (uxorem) ducere non 54 potest: nisi a patre desponsa, destinatave, testamentove 55 nominata conditione nuptiis, secuta fuerit.

37. IDEM lib. 7. Responsorum.

Libertum 56 curatoris puellae prohiberi oportet uxorem eandem ducere,

*De administrantibus officia.*

38. IDEM lib. 2. Sententiarum.

Si quis officium in aliqua provincia administrat, inde oriundam, vel ibi domicilium habentem uxorem ducere non 57 potest: quamvis sponsare 58 non prohibeatur: ita scilicet, ut si post 59 officium depositum noluerit mulier nuptias contrahere, liceat ei

(45. arg. l. 14. C. de nupt. (46. l. 51. infr. h. t. (47. l. 13. C. de nupt. v. l. 54. infr. de oblig. & act. (†) Obst. l. ult. supr. de statu homin. (48. v. l. 3. infr. de divort. Fac. l. 31. infr. de jure dot. (49. §. 8. Inst. de nupt. (50. v. l. 16. in pr. sup. h. t. (51. l. 9. supr. de senator. (52. v. l. 26. infr. de pan. (53. arg. l. 1. in pr. inf. de obseq. parent. (54. l. 7. C. de interd. matrim. l. 15. sup. de spons. l. 64. §. 1. inf. h. t. (55. l. 66. in pr. inf. eod. l. 7. in pr. infr. ad leg. Jul. de adult. l. 6. C. de interd. matrim. (56. l. 66. §. 1. inf. h. t. (57. l. 57. in pr. l. 63. infr. eod. l. 3. §. 1. inf. de donat. inter vir. & uxor. l. 6. C. de nupt. (58. Immo vide Nov. Leon. 23. (59. l. 65. in fin. infr. h. t.

hoc facere, aris tantummodo redditis 60, quas acceperat.

§. 1. Veterem sponsam in provincia, quam quis administrat, uxorem ducere potest: & dos data non fit caduca. §. 2. Qui in provincia aliquid administrat, in ea provincia filias 61 suas in matrimonium collocare, & dotem constituere non prohibetur.

*De sororis pronepte. 1. De incestu.*

39. IDEM lib. 6. ad Plautium.

Sororis proneptem 62 non possum ducere uxorem; quoniam parentis loco ei sum. §. 1. Si quis ex his, quas moribus 63 prohibemur uxores ducere, duxerit, incestum dicitur committere.

*De filia privigna.*

40. POMPONIUS lib. 4. ex Plautio.

Aristo respondit, privignae 64 filiam non magis uxorem duci posse, quam ipsam privignam.

*De ea, quae vulgo quaestum facit. 1. De concubinato.*

41. MARCELLUS lib. 26. Digestorum.

Probrum intelligitur etiam in his mulieribus esse, quae turpiter viverent, vulgoque quaestum facerent, etiam si non palam 65.

§. 1. Et si qua se in concubinato alterius, quam patroni 66 tradidisset, *matrifamilias* honestatem non habuisse dico.

*De honestate spectanda. 1. Quibus nubere non possunt prognatae Senatoribus.*

42. MODESTINUS libro singul. de Ritu nuptiarum.

Semper in conjunctionibus 67 non solum, quid liceat considerandum est, sed & quid honestum sit. §. 1. Si Senatoris filia, neptis, proneptis, libertino 68, vel qui artem ludicram exercuit, cujusve pater, materve id fecerit, nupserit: nuptiae non erunt.

*Quid sit palam quaestum facere. 3. De ea, quae palam sine quaestu se prostituit. 4. De ea, quae facere desit. 5. De obtentu paupertatis. 6. De lenocinio. 10. De damnata publico judicio, 11. Vel calumnia, vel pravaricationis. 12. De adultera.*

43. ULPIANUS lib. 1. ad Legem Juliam, & Papiam.

Palam 69 quaestum facere dicemus non tantum eam, quae in lupanario se prostituit, verum etiam si qua, ut adsolet, in taberna cauponia, vel qua alia pudori suo non parcat. §. 1. Palam autem sic accipimus, passim, hoc est, sine delectu: non si qua adulteris, vel stupratoribus se committit, sed quae vicem prostitutae sustinet. §. 2. Item quod cum uno, & altero pecunia accepta commiscuit, non videtur palam corpore quaestum facere.

§. 3. Octavenus tamen rectissime ait, etiam eam, quae sine quaestu palam se prostituerit, debuisse his connumerari. §. 4. Non solum autem ea, quae facit, verum ea quoque, quae fecit, & (si) facere desit, Lege notatur: neque enim aboletur turpitudine, quae postea intermissa est. §. 5. Non est ignoscendum ei, quae obtentu paupertatis turpissimam vitam egit. §. 6. Lenocinium facere non minus est, quam corpore quaestum exercere. §. 7. Lenas autem eas diximus, quae mulieres quaestuaras 70 prostituunt.

§. 8. Lenam accipiemus, & eam, quae alterius nomine hoc vitae genus exercet. §. 9. Si qua 71 cauponam exercens, in ea corpora quaestuararia habeat, ut multae adsolet, sub praetextu instrumenti cauponii prostitutas mulieres habere, dicendum hanc quoque lenae appellatione contineri. §. 10. Senatus censuit, non conveniens esse ulli Senatori, uxorem ducere, aut retinere damnatam publico judicio; quo (judicio) cuilibet 72 ex populo experiri licet; nisi si cui Lege aliqua accusandi publico judicio non est potestas.

§. 11. Si qua calumniae judicio damnata sit ex causa publici judicii, & quae pravaricationis damnata est, *publico judicio damnata* esse non videtur. §. 12. Quae in adulterio deprehensa est, quasi publico judicio damnata est. Proinde si adulterii condemnata esse proponatur: non tantum, quia deprehensa est, erit notata, sed quia & publico judicio damnata est. Quod si non sit deprehensa, damnata autem: idcirco notetur: quia publico judicio damnata est: (at) si deprehensa quidem sit, damnata autem non sit, notata erit. Ego puto, etsi absoluta sit post deprehensionem, adhuc tamen notam illi obesse debere: quia verum est, eam in adulterio deprehensam; quia factum Lex, non sententiam notaverit.

§. 13. Non adjicitur hic, ut in Lege Julia de adulteriis, a quo,

(60. Obst. l. un. C. si rect. provinc. (61. Hoc mutat. Nov. Leon. 23. (62. l. 17. C. de nupt. l. ult. C. de nupt. ex rescr. §. 3. Inst. de nupt. (63. l. 8. supr. l. ult. infr. h. t. (64. l. 14. in fin. sup. eod. (65. v. l. 43. infr. eod. (66. l. 1. & 2. inf. de concub. l. 49. §. 4. inf. de legat. 3. l. 13. in pr. inf. ad leg. Jul. de adult. (67. l. 197. infr. de reg. jur. (68. l. 16. in pr. supr. l. 44. in pr. infr. h. t. (69. v. l. 33. inf. de verb. sign. (70. l. 4. §. 2. inf. de his, qui notantur infam. (71. d. l. 4. §. 2. vers. five. (72. §. 1. Inst. de publ. judic.

vel ubi deprehensam: proinde siue maritus, siue quis alius deprehendisse proponatur; videtur notata: sed & si non in domo mariti, vel patris sui deprehensa sit, erit notata secundum verba Legis.

*Legis Juliae, & Papiæ caput, de Senatoribus, & eorum liberis*  
1. Summa dicti capituli Legis Juliae. 2. Si avus, vel avia artem ludicram fecerit. 3. De patre naturali, vel adoptivo. 5. Et tempore, quo artem ludicram fecit. 7. Si uxor Senatoris, vel prognati Senatore, artem ludicram facere incipiat. 8. Ne a Senatoribus ducantur, quæ a ceteris ingenuis duci non possunt.

44. PAULUS lib. 1. ad Legem Juliam, & Papiam.

**L**ege Julia 73 ita cavetur: Qui Senator est, quive filius, neposve eorum sponsam, uxoremve ex filio nato, cujus eorum est, erit: ne quis eam, quæ ipsa, cujusve 75 pater, materve artem ludicram facit, fecerit: neve senatoris 76 filia, neptisve ex filio, proneptisve ex nepote, filio nato, nata: libertino, eive, qui ipse, cuiusve pater, materve artem ludicram facit, fecerit: sponsa, nuptave sciens dolo malo esto: neve quis eorum dolo malo, sciens sponsam, uxoremve eam habeto. §. 1. Hoc capite prohibetur Senator libertinam ducere, eamve, cujus pater 77, materve artem ludicram fecerit: item libertinus Senatoris filiam ducere. §. 2. Non obest, avum, & aviam artem ludicram fecisse. §. 3. Nec distinguitur, pater in potestate habeat filiam, necne: tamen justum patrem intelligendum, Octavenus ait; matrem, etiam si vulgo conceperit. §. 4. Item nihil refert, naturalis sit pater, an adoptivus. §. 5. An & is noceat, qui antequam adoptaret, artem ludicram fecerit; atque si naturalis pater, antequam filia nasceretur, fecerit? Et si hujus notæ homo adoptaverit, deinde emancipaverit, an non possit duci, ac si talis pater naturalis decessisset? Sed de hoc casu contrariam Legis sententiam esse, Pomponius recte putat, ut eis non connumeretur. §. 6. Si postea ingenuæ uxoris pater, materve artem ludicram facere cœperit; iniquissimum est dimittere eam debere, cum nuptiæ honestæ contractæ sint, & fortasse jam liberi procreati sint. §. 7. Plane si ipsa artem ludicram facere cœperit, utriusque dimittenda erit. §. 8. Eas, quas 78 ingenui ceteri prohibentur ducere uxores, Senatores non ducunt.

*Aliud legis Juliae, & Papiæ caput. Ne liberta invito patrono alii nubat. De emta. 1. De jurejurando. 2. De emtore. 3. De filiofam. milite. 4. De nupta, vel sponsa. 5. Invitus quomodo accipitur. 6. De servitute patroni.*

45. ULPIANUS lib. 3. ad Legem Juliam, & Papiam.

**I**n eo jure, quod dicit, invito 79 patrono libertam, quæ ei nupta est, alii nubere non posse: Patronum accipimus (ut Rescripto Imperatoris nostri, & Divi Patris ejus continetur) & eum 80, qui hac lege emit, ut manumittat: quia manumissa liberta emtoris habetur. §. 1. Qui autem juravit se patronum, hoc idem non 81 habebit. §. 2. Ne is quidem debet habere, qui non suis 82 nummis comparavit. §. 3. Plane, si filiusfamilias miles esse proponatur, non dubitamus, si castrensis peculii ancillam manumiserit, competere ei hoc ius: est enim patronus secundum Constitutiones, 83 nec patri ejus hoc jus competit. §. 4. Hoc caput ad nuptam tantum libertam pertinet: ad sponsam non pertinet: & ideo invito patrono, nuntium sponsa liberta si miserit, cum alio connubium habet. §. 5. Deinde ait Lex, invito patrono. Invitum accipere debemus eum, qui non 84 consentit ad divortium: idcirco nec a furioso divertendo solvit se hujus Legis necessitate: nec si ab ignorante diverterit: rectius enim hic invitus dicitur, quam qui dissensit. §. 6. Si ab hostibus patronus captus esse proponatur, vereor, ne possit ista connubium habere nubendo: quemadmodum haberet, si mortuus esset. Et qui Juliani sententiam probant, dicerent, non habituram connubium: putat enim Julianus, durare ejus libertæ matrimonium etiam in captivitate, propter patroni reverentiam. Certe, si in aliam servitutem patronus sit deductus, procul dubio dissolutum esset matrimonium.

(73. Abrogat. Nov. 78. c. 3. Nov. 117. c. 6. (74. l. 23. infr. h. t. l. pen. C. de nupt. (75. l. 7. in fin. C. de incest. & inutil. nupt. (76. l. 16. in pr. l. 42. §. 1. supr. h. t. l. 3. §. 1. infr. de donat. inter vir. & uxor. (77. l. 7. in fin. C. de incest. & inutil. nupt. (78. Adde l. 49. in fin. infr. h. t. (79. l. 51. in pr. infr. eod. l. ult. infr. de divort. l. 8. C. de oper. libert. (80. l. 3. §. 3. infr. de bon. libert. l. 3. §. 3. infr. de suis & legit. l. 10. in pr. supr. de in jus vocand. (81. Immo vide l. 8. §. 1. supr. d. t. (82. l. 3. §. 4. infr. de bonis libert. (83. l. 8. in pr. infr. de jure patronat. l. 3. §. 8. l. 22. inf. de bonis libert. l. 30. §. 2. inf. qui & a quib. manumissi. (84. l. 5. supr. de servit. præd. urban.

*De liberta communi.*

46. GAJUS lib. 8. ad Legem Juliam, & Papiam.

**I**llud dubitationis est, an & qui communem libertam uxorem duxerit, ad hoc jus admittatur? Javolenus negavit: quia non proprie videtur ejus liberta, quæ etiam alterius sit. Aliis contra visum est, quia libertam ejus esse negari non potest, licet alterius quoque sit liberta. Quam sententiam plerique recte probaverunt.

*De filia Senatoris, quæ corpore quæstum, vel artem ludicram fecit, vel judicio publico damnata est.*

47. PAULUS lib. 2. ad Legem Juliam, & Papiam.

**S**enatoris filia, quæ corpore quæstum, vel artem ludicram fecerit, aut judicio publico damnata fuerit, impune libertino nubet 86: nec (enim) honos 87 ei servatur, quæ se in tantum (foedus) deduxit.

*De filio patroni. 1. De liberta ignominiosa.*

2. De assignatione libertæ.

48. TERENCEUS CLEMENS lib. 8. ad Legem Juliam, & Papiam.

**F**ilio patroni in libertam paternam, eandemque uxorem idem juris, quod ipsi patrono daretur, ex sententia Legis accommodatur. † Idemque dicendum erit, & si alterius patroni filius, vivo altero, libertam eorum uxorem duxerit. §. 1. Si ignominiosam libertam suam patronus uxorem duxerit, placet, quia contra Legem maritus sit, non habere eum hoc Legis beneficium. §. 2. Si uni ex filiis assignatam alter uxorem duxerit, non idem jus, quod (in) patrono tribuendum: nihil enim juris habebit, quia Senatus omne 88 jus libertorum assignatorum ad eum transtulit, cui id pater tribuit.

*De uxoris ducendis ab inferioris, vel superioris dignitatis hominibus.*

49. MARCELLUS lib. 1. ad Legem Juliam, & Papiam.

**O**bservandum est, ut inferioris gradus homines ducant uxores eas, quas hi, qui altioris dignitatis sunt, ducere Legibus propter dignitatem prohibentur: ac contra, antecedentis 89 gradus homines non possint eas ducere, quas his, qui inferioris dignitatis sunt, ducere non licet.

*De manumissione, & fideicommissio.*

50. IDEM lib. 3. ad Legem Juliam, & Papiam.

**P**roxime constitutum dicitur, ut cum quis libertam suam duxerit uxorem, quam ex 90 fideicommissi causa manumiserit, liceat libertæ, invito eo, nuptias contrahere: puto, quia non erat ferendus is, qui ex necessitate 91 manumisit, non suo arbitrio: magis enim debitam libertatem præstitit, quam ullum beneficium in mulierem contulit.

*De ancilla manumissa matrimonii causa.*

51. LICINIUS RUFINUS lib. 1. Regularum.

**M**atrimonii causa ancilla manumissa, a nullo alio uxor duci potest, quam a quo manumissa est: nisi 92 patronus matrimonio ejus renunciaverit. §. 1. Si autem filiusfamilias matrimonii causa, jussu patris ancillam manumiserit, Julianus putat, perinde eam haberi 93, atque si a patre ejus manumissa esset; & ideo potest eam uxorem ducere.

*De incestis nuptiis, de dote.*

52. PAULUS lib. 6. ad Sabinum.

**I**ncestæ nuptiæ neque dorem 94 habent: & ideo (omne) quod perceptum est, licet fructuum nomine, auferetur.

*De parentibus, & liberis.*

53. GAJUS lib. 11. ad Edictum provinciale.

**N**uptiæ consistere non possunt inter eas personas, quæ in numero 92 parentum, liberorumve sunt, siue proximi, siue ulterioris gradus sint, usque ad infinitum.

*De cognatione, & justis nuptiis. De vulgo quæstitis.*

54. SCEVOLA lib. 1. Regularum.

**E**t nihil interest, ex justis nuptiis cognatio descendat, an vero non: nam & vulgo 96 quæsitam sororem quis vetatur uxorem ducere.

(85. l. 12. infr. de assign. libert. Fac. l. 239. in fin. infr. de verb. sign. (86. Adde l. 13. supr. h. t. Fac. l. 48. §. pen. infr. eod. l. 29. C. ad leg. Jul. de adult. (87. l. 1. in fin. C. ubi senator. (88. l. 1. in pr. infr. de assign. libert. (89. l. 44. in fin. supr. h. t. (90. l. 10. infr. de divort. (91. Fac. l. 84. infr. de hered. instit. l. 1. §. pen. in fin. infr. de aqua quotid. (92. v. l. 29. supr. h. t. l. 11. §. 1. inf. de divort. (93. l. 16. l. 22. inf. de manumiss. l. 22. inf. de manumiss. vind. l. 30. §. 1. inf. qui & a quib. manumissi. (94. l. 58. inf. h. t. §. 12. Inst. de nupt. v. l. 4. C. de incest. & inutil. nupt. (95. §. 1. Inst. de nupt. v. l. ult. infr. l. 14. §. 2. supr. h. t. (96. Adde d. l. 14. §. 2. De

*De filia, vel nepte adoptiva. 1. De patris adoptivi matre, matertera, nepte ex filio.*

55. GAJUS lib. 11. ad Edictum provinciale.

Quin etiam nefas existimatur eam quoque uxorem ducere, quæ per adoptionem 97 filia, neptisve esse cœperit: in tantum, ut, etsi per emancipationem 98 adoptio dissoluta sit, idem juris maneat. §. 1. Patris adoptivi mei matrem, aut materteram, aut neptem ex filio, uxorem ducere non possum: scilicet, si in familia ejus sim. Alioquin si emancipatus fuero ab eo, sine dubio nihil impedit nuptias: scilicet, quia post emancipationem 99 extraneus intelligitur.

*Si sororis filia in concubinato fuerit.*

56. ULPIANUS lib. 3. Disputationum.

Etiam si concubinam quis 100 habuerit sororis 101 filiam, licet libertinam, incestum committitur.

*De filio officium gerentis. 1. De status confirmatione.*

57. MARCIANUS lib. 2. Institutionum.

Qui in provincia officium aliquid gerit, prohibetur etiam consentire filio 102 suo uxorem ducenti. §. 1. (In lib. II. de adulteriis Papiniani Marcianus notat: ) Divus Marcus, & Lucius Imperatores Flavix Tertullæ per Menforem libertum ita rescripserunt: *Movemur & temporis diuturnitate, quo ignara 103 juris in matrimonio avunculi tui fuisti, & quod ab avia tua collocata es, & numero liberorum vestrorum: idcirco (que) cum hæc omnia in unum concurrunt, confirmamus statum liberorum vestrorum in eo matrimonio quæstorum, quod ante annos quadraginta contractum est, perinde, atque si legitime concepti fuissent.*

*Si libertina Senatori, quasi ingenua nupserit.*

58. IDEM lib. 4. Regularum.

Adivo Pio rescriptum est, si libertina Senatorem deceperit, quasi ingenua, & ei nupta est: ad exemplum Prætoris Edicti, dandam in eam actionem: quia ex dote nullum lucrum habet, quæ nulla 104 est.

*De tutore, & ejus liberis.*

59. PAULUS lib. singul. de Adsignatione libertorum.

Senatusconsulto 105, quo cautum est, ne tutor 106 pupillam vel filio suo, vel sibi nuptum collocet, etiam nepos 107 significatur.

*De his, ad quos tutelæ periculum pertinet. 2. De tutoribus non administrantibus. 4. Si pendente excusationis judicio pupilla adoleverit. 5. De nuptiis, & sponsalibus. 6. De filio tutoris adoptivo. 7. De liberis a tutore datis in adoptionem. 8. Si heres tutoris provocantis victus sit.*

60. IDEM lib. sing. ad oration. D. Antonini, & Commodi.

Si quis tutor quidem non sit, periculum tamen tutelæ ad eum pertineat, an sententia orationis contineatur: veluti si pupilla ab hostibus capta fuerit, aut falsis 108 allegationibus a tutela se excusaverit, ut ex sacris constitutionibus periculum ad eum pertineat? Et dicendum est, hos quoque ad Senatusconsultum pertinere: nam & hujusmodi periculum in numerum trium tutelarum computari, comprobatum est. §. 1. Sed si propter alterius personam periculum ad eum pervenit, videamus, ne extra sententiam Senatusconsulti sit: veluti si Magistratus in tutelæ periculum incidit, vel fidejusserit quis pro tutore, vel curatore: quia nec in numerum trium tutelarum hæc imputantur. Et consequens est, hoc probare. §. 2. Quid ergo, si honoris 109 causa tutor datus sit? quatenus nec hujusmodi tutela in numerum computatur, numquid idem sit? Sed ratio in contrarium ducit: quod dictum est, (&) honorarium tutorem periculum solere pati, si male passus sit administrari tutelam. §. 3. Quin autem ille, qui cum datus est tutor, cessat 110 in administratione, pertineat ad orationem, non est dubitandum: quia perinde tenetur ex sacris constitutionibus, atque si gessisset. §. 4. Quid ergo si, cum se vellet excusare aliquo titulo, nec in promptu probationes haberet, excusationis negotium fuerit dilatum, & inter moras pupilla adoleverit? an ad Senatusconsultum pertineat? Quæstio in eo est, an (&)

(97. Fac. d. l. 14. §. 1. (98. §. 1. vers. & hæc adeo, Inst. de nupt. (99. l. 13. supr. de adopt. (100. l. 11. §. 1. infr. ad leg. Jul. de adult. (101. l. 14. §. 2. supr. h. t. (102. Nov. Leon. 23. l. un. C. si rector. provinc. (103. v. l. 4. C. de incest. nupt. Nov. 12. c. 1. in fin. (104. v. l. 52. supr. h. t. (105. l. 64. §. 1. infr. eod. l. 7. in pr. infr. ad leg. Jul. de adult. (106. l. 36. supr. l. 62. in fin. infr. h. t. l. 15. supr. de sponsal. l. 1. C. de interdict. matrim. (107. l. 211. & 220. §. 3. infr. de verb. sign. Adde l. 64. §. 1. infr. h. t. (108. l. 1. l. 2. C. si tut. vel curat. fals. allegat. §. ult. Inst. de excusat. tut. (109. l. 3. §. 2. inf. de admin. & peric. tut. l. 14. §. 1. infr. de solution. (110. v. l. 6. C. de testam. tut.

post pubertatem officio finito excusationem ejus recipi oporteat: nam si recipitur, & excusaverit, impune potest ducere: si vero non debeat recipi post officium finitum, non recte ducit. Et ait Papinianus lib. v. Responsorum, officio finito excusationem recipi non oportere: & ideo exacti temporis periculum ad eum pertinere. Sed mihi hoc nequaquam placet: iniquum enim est propter dilationem, quæ forte non dolo, sed (quæ) ex necessitate contingit, non excusari, vel nuptias impediri excusatione recepta. §. 5. Quamvis verbis Orationis cautum sit, ne uxorem tutor pupillam suam ducat, tamen intelligendum est, ne desponderi 111 quidem posse: nam cum qua nuptiæ contrahi non possunt, hæc plerumque 112 ne quidem desponderi potest: nam quæ duci potest, jure desponderur. §. 6. Quid ergo, si adoptivus filius tutoris duxerit pupillam illicite, posteaque emancipatus fuerit? Credendum est, de adoptivis emancipatis Senatam non sensitse: quia post emancipationem in totum adoptivæ familiæ obliviscuntur. §. 7. Naturales liberi, licet in adoptionem dati fuerint, Senatusconsulto continentur. §. 8. Quid ergo, si tutor datus provocavit 113, & postea heres ejus victus est, præteriti temporis periculum præstare debet? an vero, si filius heres fuerit, & victus est, ad orationem pertineat? Et consequens est, hoc probare: quoniam rationem 114 debet reddere.

*De dote caduca.*

61. PAPINIANUS lib. 32. Quæstionum.

Dote propter illicitum matrimonium caduca facta, exceptis impensis necessariis, quæ 115 dotem ipso jure minuere solent, quod judicio de dote redditurus esset, maritus solvere debet.

*De matre, cui pater eligendi filix maritum arbitrium dedit.*

1. De collibertis. 2. De tutore, qui rationes reddit, & adulta liberos habente.

62. IDEM lib. 4. Responsorum.

Quamquam in arbitrio matris pater esse voluerit, cui nuptum filia communis collocaretur: frustra tamen ab ea tutor datus eligitur; neque enim intelligitur, pater de persona tutoris cogitasse: cum ideo maxime matrem prætulit, ne filia nuptias tutori committeret. §. 1. Mulier liberto viri, ac patroni sui mala ratione conjungitur. §. 2. Tutor, qui rationes curatori reddidit, puellam suam ante constitutum tempus ætatis ejus uxorem ducere, nec matrem ex alio matrimonio factam, potest.

*De Præfecto cohortis, vel equitum, vel Tribuno.*

63. IDEM lib. 1. Definitionum.

Præfectus cohortis, vel equitum, aut Tribunus, contra Interdictum 116, ejus provinciæ duxit uxorem, in qua officium gerebat: matrimonium non erit. Quæ species pupillæ comparanda est: cum ratio potentatus nuptias prohibuerit. † Sed an huic quoque, si virgo nupsit, non sit auferendum, quod testamento relictum est, deliberari potest. Exemplo tamen pupillæ nuptæ tutori, quod relictum est 117, potest mulier consequi: pecuniam tamen in dotem datam, mulieris heredi restitui necesse est.

*De liberto tutore. 1. De tutore, & ejus filio, vel extraneo herede. 2. De filia tutoris.*

64. CALLISTRATUS lib. 2. Quæstionum.

Libertum, eundemque tutorem pupillæ eo quod in matrimonio collocata ipsi tutori suo, vel filio ejus est, Senatus relegandum censuit. §. 1. Senatusconsulti, quo prohibentur tutores, & filii eorum, pupillas suas ducere, puto heredem quoque tutoris extraneum sententia adprehendi: cum ideo prohibuerit hujusmodi nuptias, ne pupillæ in re familiari circumscribanrur ab his, qui rationes 118 eis gestæ tutelæ reddere compelluntur.

§. 2. Tutor autem pupilli non prohibetur filiam 119 suam collocare pupillo suo in matrimonium.

*De his, qui militant in patria sua. 1. De officio provinciali finito.*

65. PAULUS lib. 7. Responsorum.

Eos, qui in patria sua militant, non videri contra mandata ex eadem provincia uxorem ducere: idque etiam quibusdam mandatis contineri. §. 1. Idem (eodem) respondit: mihi placere, etsi contra mandata contractum sit matrimonium in provincia, tamen post depositum officium, si in 120 eadem voluntate perseve-

(111. l. 15. l. 16. supr. de sponsal. (112. Excip. l. 10. §. 1. supr. de his, qui not. infam. (113. Imo vide §. 16. Inst. de excusat. tut. (114. Adde l. 64. §. 8. in fin. infr. h. t. (115. l. 1. §. 2. infr. de impens. in res dotal. (116. l. 2. §. 1. infr. de his, quæ ut indignis. l. 6. C. de nupt. v. l. 38. supr. h. t. (117. l. ult. infr. de legat. 1. (118. l. 60. in fin. supr. h. t. (119. Adde l. 28. in fin. supr. eod. l. 5. C. de interdict. matrim. (120. l. 6. C. de nups.

rat, iustas nuptias effici: & ideo postea liberos natos ex iusto matrimonio legitimos esse.

*De tutore, vel curatore, eorumve filio. 1. De curatoris liberto.*

66. IDEM lib. 2. Sententiarum.

**N**on est matrimonium, si tutor 121, vel curator pupillam suam intra vigesimum & sextum 122 annum non desponsam a patre, nec testamento destinatum, ducat uxorem, vel eam filio suo jungat: quo facto uterque infamatur 123, & pro dignitate pupillæ extra ordinem coercetur. Nec interest, filius sui juris, an in patris potestate sit. §. 1. Curatoris 124 libertum eam pupillam, cuius patronus res administrat, uxorem ducere, fati incivile est.

*De filio tutoris. 1. Si avus tutelam neptis gessit. 2. De patre, vel fratre tutoris, vel curatoris. 3. Si tutor, vel curator adoptet maritum puellæ. 4. De curatore ventris, & bonorum. 5. De filia ejus, quæ sub tutela, vel curatore fuit. 6. De tutore, qui abstulit pupillam bonis paternis.*

67. TRYPHONINUS lib. 9. Disputationum.

**N**on solum vivo tutore, sed & post mortem ejus, filius tutoris ducere uxorem prohibetur eam, cuius tutelæ rationi obstructus pater fuit. Nec puto interesse, existerit ei heres filius, an abstinuerit paterna hereditate; an nec heres fuit, forte exheredatus, aut præteritus, emancipatus. Nam & fieri potest, ut per fraudem in eum collocata bona patris propter tutelam revocari oporteat. §. 1. De uno dubitari potest; si avus tutelam gessit neptis ex filio emancipato natæ, an nepoti ex altero filio eam collocare possit, sive emancipato, sive manenti in potestate: quia \* *par affectionis causa suspicionem fraudis amovet* 125: Sed etsi Senatusconsultum stricto jure contra omnes tutores nititur, attamen summa affectionis avitæ intuitu, hujusmodi nuptiæ concedendæ sunt. §. 2. Sed & si filiusfamilias 126 tutor puellæ, vel curator fuit, puto, (vel) magis patri ejus non oportere eam nubere: numquid nec fratri, qui est in ejusdem potestate? §. 3. Sed videamus, si Titii filius duxerit uxorem eam, quæ tua pupilla fuit, deinde Titium, vel filium ejus adoptaveris, an petantur nuptiæ, ut in genero adoptato 127 dictum est: an adoptio impeditur: Quod magis dicendum est, & si curator, dum gerit curam, adoptaverit maritum ejus puellæ, cuius curator est: nam finita jam tutela, & nupta puella alii, vereor, ne longum sit, adoptionem mariti ejus impedire; quasi propter hoc interponatur, ut ratio 128 tutelæ reddendæ cohibeatur. Quam causam prohibitionis nuptiarum contrahendarum oratio Divi Marci continet. §. 4. Et si quis curator ventri, bonisque datus sit, prohibitionem ejusdem Senatusconsulti inducit: nam & hic debet rationem reddere: nec spatium administrationis movere nos debet: quia nec in tutore, nec curatore discrimen majoris, aut minoris temporis, quo in hujusmodi munere quis fuerit, habitum est. §. 5. Si puellæ tutelam Titius administravit, vel curator negotia gessit, eaque, nondum recepta ratione, decessit, filia herede relicta: Quærenti, an eam filio suo posset Titius collocare in matrimonium, dixi posse: quia (ratio) hereditaria esset, & sit simplex debitum: alioquin omnis debitor eam, cui obligatus esset ex aliqua ratione, prohibetur sibi, filioque suo conjungere. §. 6. Sed & is, qui pupillam abstinet bonis patris sui, rationem ejus rei præstare debet; & fieri potest, ut etsi inconsultus hoc fecerit, (&) hoc nomine condemnari debeat, sed etsi, optimo consilio, usus sit auxilio Prætoris jurisdictionis, quia non solvendo pater ejus decesserat; nihilominus tamen, quia iudicio hoc probari oportet, impediuntur nuptiæ. Nam qui bene tutelam, & ex fide administravit, nihilominus prohibetur.

*De incestu.*

68. PAULUS lib. singul. ad Senatusconsultum Turpilianum.

**J**ure gentium 129 incestum committit, qui ex gradu ascendenti 130, vel descendenti 131 uxorem duxerit. † Qui vero ex latere eam duxerit, quam vetatur, vel adinam, quam impeditur: si quidem palam fecerit, levius; si vero clam hoc commiserit, gravius punitur. Cujus diversitatis illa ratio est circa matrimonium, quod ex latere non bene contrahitur: palam delin-

(121. l. 36. supr. h. t. (122. l. 7. in pr. infr. ad leg. Jul. de adult. l. 6. C. de interd. matrim. (123. Imo vide l. 12. supr. de his, qui notant. infam. (124. l. 37. supr. h. t. (125. l. pen. in fin. pr. C. de adopt. Vide tamen l. ult. C. ubi pupilli. (126. v. Inst. qui testam. tut. in pr. l. 7. infr. de tutel. (127. §. 2. in fin. Inst. de nupt. (128. l. 64. §. 1. supr. h. t. (129. l. ult. §. 1. supr. de condi. sine caus. l. 38. §. 2. infr. ad leg. Jul. de adult. Adde l. 39. in fin. supr. h. t. (130. l. 53. supr. eod. (131. l. 17. C. de nupt.

quentes, ut errantes majore poena excusantur: clam committentes, ut contumaces plectuntur.

TIT. III.

DE I JURE DOTIUM.

*Dotis causam esse perpetuam.*

1. PAULUS lib. 14. ad Sabinum.

**D**otis causa perpetua est: (&) cum voto ejus, qui dat, ita contrahitur, ut semper apud maritum sit.

*Favor dotis.*

2. IDEM lib. 60. ad Edictum.

**R**eipublicæ interest 2 mulieres dotes salvas habere, propter quas nubere possunt.

*De matrimonio facti.*

3. ULPIANUS lib. 63. ad Edictum.

**D**otis appellatio non refertur ad ea 3 matrimonia, quæ consistere non possunt: neque 4 enim dos sine matrimonio esse potest. Ubi cumque igitur matrimonii nomen non est, nec dos est.

*De eo, quod rei dotali accedit.*

4. PAULUS lib. 6. ad Sabinum.

**S**i proprietati nudæ in dotem datæ usufructus accesserit, incrementum videtur dotis, non alia dos: quemadmodum si quid alluvione accessisset.

*Profectitia, quæ fit dos.*

5. ULPIANUS lib. 31. ad Sabinum.

**P**rofectitia dos est, quæ a patre, vel parente 5 profecta est de bonis, vel facta ejus. §. 1. Sive igitur parens dedit dotem, sive procurator ejus, sive iussit alium dare; sive, cum quis dedisset negotium ejus gerens, parens ratum habuerit: profectitia dos est. §. 2. Quod si quis patri donaturus dedit, Marcellus lib. vi. Digestorum scripsit, hanc quoque a patre profectam 6 esse: Et est verum. §. 3. Sed & si curator furiosi, vel prodigi, vel cujusvis alterius, dotem dederit, similiter dicemus, dotem profectitiam esse. §. 4. Sed & si proponas, Prætorum, vel Præsidem decrevisse, quantum ex bonis patris (vel) ab hostibus capti, aut a latronibus oppressi, filia in dotem detur: hæc quoque profectitia videtur. §. 5. Si pater repudiaverit hereditatem dotis constituendæ causa, forte quod maritus erat substitutus, aut quia potuit ab intestato hereditatem vindicare: dotem profectitiam non esse, Julianus ait. † Sed & si legatum in hoc repudiaverit pater, ut apud generum heredem remaneat dotis constituendæ causa: Julianus probat, non esse profectum id de bonis: quia nihil erogavit de suo pater, sed non acquisivit. §. 6. Si pater, non quasi pater, sed, alio dotem promittente, fidejussit, & quasi fidejussor solverit, Neratius ait, non esse profectitiam dotem: quamvis pater servare a reo id, quod solvit, non possit. §. 7. Sed si pater dotem promisit, & fidejussorem, vel reum pro se dedit, ego puto, profectitiam esse dotem: sufficit enim, quod pater sit obligatus sive reo, sive fidejussori. §. 8. Si filiusfamilias mutuatus, creditorem delegavit, ut daret pro filia dotem, vel etiam ipse 7 accepit, & dedit: videri dotem ab avo profectam, Neratius ait hætenus, quatenus 8 avus esset dotaturus neptem suam: id enim in rem avi videri versum. §. 9. Si quis certam quantitatem patri donaverit, ita ut hanc pro filia daret: non 9 esse dotem profectitiam, Julianus lib. xviii Digestorum scripsit: obstructus est enim, ut det: aut, si non dederit, conditione tenetur. Hoc & in matre juris esse ait, si forte sub ea conditione uxor marito det, ut pro filia 10 genero in dotem daret: nec videri uxorem marito donasse. Restissime ergo ait, ut non sit interdicta donatio jure civili: non enim (ad) hoc dedit, ut ipse habeat, sed ut genero pro filia expendat: denique si non dederit, conditione tenetur. Esse igitur dotem istam adventitiam, Julianus ait: Et ita utimur. §. 10. Si filiusfamilias dotem promiserit, & sui juris factus dederit, profectitiam esse dotem; non enim pro hereditate patris æs alienum solvit, sed suum æs alienum susceptum, dum filiusfamilias esset, paterfamilias factus exoneravit. §. 11. Si pater pro filia emancipata dotem dederit, profectitiam nihilominus dotem esse, nemini dubium est; quia \* non jus potestatis, sed parentis nomen dotem

TIT. III. (1. Lib. 5. C. 12. Nov. 91. 97. 98. Nov. Leon. 21. (2. l. 18. infr. de reb. auct. judic. possid. l. 1. infr. solut. matrim. (3. l. 6. C. de incest. & inut. nupt. l. 58. supr. de ritu nupt. §. pen. Inst. de nupt. (4. l. fin. in pr. C. de donat. ante nupt. (5. l. 81. infr. h. t. l. 2. §. 1. infr. soluto matrim. (6. Vide tamen §. 9. infr. h. t. (7. l. 7. §. 2. supr. de SC. Maced. (8. l. 7. in fin. supr. de in rem vers. (9. Vide tamen §. 2. supr. h. t. (10. l. 34. infr. de donat. inter vir. & uxor.

profectitiam facit: sed ita demum, si ut parens dederit: ceterum si, cum deberet filia, voluntate ejus dedit, adventitia dos est.

§. 12. Papinianus lib. x. Quæstionum ait, cum pater curator suæ filia juris sui effectæ dotem pro ea constituisset, magis eum, quasi patrem id, quam quasi curatorem, fecisse videri. §. 13. (Julianus lib. xix. Digestorum.) Adoptivum quoque patrem, si ipse dotem dedit, habere ejus repetitionem ait. §. 14. Si quis pro aliena filia dotem promiserit, & promissori pater heres extiterit: Julianus distinguit interesse, ante nuptias pater heres extiterit, & dotem dederit, an postea: si ante, videri dotem ab eo profectam: potuit enim nuncium remittendo resolvere dotem: quod si post nuptias, non esse profectitiam.

*De dote profectitia patri reddenda. 1. Quæ sit dos profectitia.*

1. *De circumventionione.*

6. POMPONIUS lib. 14. ad Sabinum.

Jure succursum est patri, ut, filia amissa, solatii loco cederet, si redderetur ei dos ab ipso 11 profecta: ne & filia amissa, & pecuniæ damnum sentiret. §. 1. Si pater alienum 12 fundum bona fide emptum in dotem dedit, ab ipso profectus intelligitur.

§. 2. Si in dote danda circumventus sit alteruter 13 etiam majori annis vigintiquinque succurrendum est: quia bono & 14 æquo non conveniat, aut lucrari 15 aliquem cum damno alterius, aut damnum sentire per alterius lucrum.

*De fructibus dotis. 3. De dominio rei dotalis, aut dotis destinata, & accessione temporis.*

7. ULPIANUS lib. 31. ad Sabinum.

Dotis fructum 16 ad maritum pertinere debere, æquitas suggerit: cum enim ipse onera 17 matrimonii subeat, æquum est, eum etiam fructus percipere. §. 1. Si fructus, constante matrimonio percepti sint, dotis non erunt: si vero ante 18 nuptias percepti fuerint, in dotem convertuntur, nisi 19 forte aliquid inter maritum futurum, & destinatum uxorem convenit: tunc enim, quasi donatione facta, fructus non redduntur. §. 2. Si ususfructus in dotem datus sit: videamus, utrum fructus reddendi sunt, necne. Et Celsus lib. x. Digestorum ait, interesse, quid acti sit: & nisi appareat aliud actum, putare se, jus ipsum in dote esse, non etiam fructus, qui percipiuntur. §. 3. Si res in dotem dentur, puto in bonis mariti 20 fieri, accessionemque 21 temporis marito ex persona mulieris concedendam. † Fiant autem res mariti, si constante matrimonio in dotem dentur. † Quid ergo, si ante matrimonium? Si quidem sic dedit mulier, ut statim ejus fiant: efficiuntur: enimvero si hac conditione dedit, ut tunc 22 efficiantur, cum nupserit, sine dubio dicemus, tunc ejus fieri, cum nuptiæ fuerint secutæ. Proinde si forte nuptiæ non sequantur nuncio remisso, si quidem sic dedit mulier, ut statim viri res fiant, condicere 23 eas debet missio nuncio: enimvero si sic dedit, ut secutis nuptiis incipiant esse: nuncio remisso, statim eas vindicabit: sed ante nuncium remissum si vindicabit, exceptio 24 poterit nocere vindicanti 25, aut doli, aut in factum: doti enim destinata non debent vindicari 26:

8. CALLISTRATUS lib. 2. Quæstionum.

Sed nisi hoc evidenter actum fuerit, credendum 27 est hoc agi, ut statim res sponsi fiant: & nisi nuptiæ secutæ fuerint, reddantur.

1. *Dotis causa data quæ dicuntur. 3. De paraphernis.*

9. ULPIANUS lib. 31. ad Sabinum.

Si ego Sejæ res dederò, ut ipsa suo nomine in dotem det, efficiuntur ejus, licet non in dotem sint data: sed conditione tenebitur. Quod si pro ea res ego dem, si quidem ante nuptias: interest, qua conditione dedi, utrum, ut statim fiant accipientis, an secutis nuptiis: si statim, nuncio missio, condicam 28: sin vero non statim, potero vindicare: quia meæ res sunt. Quare, (&) si sequi nuptiæ non possunt propter matrimonii interdictionem, ex po-

(11. l. 4. C. soluto matrim. (12. l. 81. infr. h. tit. (13. v. l. 9. §. 1. l. 48. in fin. supr. de minor. l. 12. §. 1. infr. h. tit. l. 6. C. soluto matrim. (14. v. l. 3. C. commun. utriusque judic. (15. l. 12. §. 1. supr. de distr. pign. l. 14. supr. de condic. indeb. (16. l. 10. §. 3. infr. l. 20. C. h. tit. l. ult. infr. soluto matrim. l. ult. §. 9. C. de rei ux. act. (17. l. 65. in fin. supr. pro socio. (18. l. 47. infr. h. tit. l. 38. §. 12. supr. de usur. l. 28. infr. de pact. dotal. (19. l. 27. infr. de donat. inter vir. & ux. (20. l. 75. infr. h. tit. (21. l. 13. §. 6. infr. de acquir. vel amitt. possess. (22. l. 38. §. 1. infr. d. tit. (23. l. 9. in pr. l. 76. infr. h. tit. (24. l. 44. in fin. infr. cod. (25. l. 9. C. de rei vind. (26. Adde l. 8. supr. de condic. caus. dat. (27. l. 1. §. 2. infr. pro dote. (28. l. 7. in fin. supr. h. tit.

steriore casu res meæ remanebunt. §. 1. Si res alicui tradidero, ut, nuptiis secutis, dotis efficiantur, & ante nuptias decessero: an, secutis nuptiis, dotis esse incipiant? Et vereor, ne non possint in dominio ejus effici, cui data sunt: quia post mortem incipiat dominium discedere ab eo, qui dedit: quia pendet donatio in diem nuptiarum: & cum sequitur conditio nuptiarum, jam heredis dominium est, a quo discedere rerum non posse dominium, invito eo, fatendum est. Sed benignius est, favore dotium, necessitatem imponi heredi consentire ei, quod defunctus fecit: aut si distulerit, vel absit, etiam nolente, vel absente eo, dominium ad maritum ipso jure transferri, ne mulier maneat indotata.

§. 2. *Dotis autem causa data, accipere debemus ea, quæ in dote dantur.* §. 3. Ceterum si res dentur in ea, quæ Græci παράφερνα 29 dicunt, quæque Galli peculium appellant, videamus, an statim efficiuntur mariti. Et putem, si sic dentur, ut fiant, effici mariti: & cum distractum fuerit matrimonium, non vindicari oportet, sed condici: nec dotis actione peti, ut D. Marcus (&) Imperator noster cum patre rescripserunt. † Plane, si rerum libellus marito detur, ut Romæ vulgo fieri videmus: nam mulier res, quas solet in usu habere in domo mariti, neque in dote dat, in libellum solet conferre, eumque libellum marito offerre, ut is subscribat, quasi res acceperit; & velut chirographum ejus uxor retinet, res, quæ libello continentur, in domum ejus se intulisse: hæc igitur res an mariti fiant, videamus. Et non puto: non quod ei non traduntur: quid enim interest, inferantur volente eo in domum ejus, an ei tradantur? Sed quia non puto hoc agi inter virum, & uxorem, ut dominium ad eum transferatur, sed magis, ut certum sit, in domum ejus illatas, ne, si quandoque separatio fiat, negetur: & plerumque custodiam earum maritus repromittit, nisi mulieri commissæ sint. Videbimus harum rerum nomine, si non reddantur, utrum rerum amotarum, an depositi, an mandati mulier agere possit. Et, si custodia marito committitur, depositi, vel mandati agi poterit: si minus, agetur rerum amotarum, si animo amoventis maritus (eas) retineat; aut ad exhibendum, si non amovere eas connifus est.

*De æstimatione. 1. De partu ancillæ. 3. De fatu pecoris.*

4. *De æstimatione ante nuptias facta. 6. Si convenerit, ut aut æstimatio, aut res reddatur.*

10. IDEM lib. 34. ad Sabinum.

Plerumque interest viri, res non esse æstimatas, idcirco, ne periculum 30 rerum ad eum pertineat: maxime, si animalia in dotem acceperit, vel vestem, qua mulier utitur: eveniet enim si æstimata sint, & ea mulier adtrivit, ut nihilominus maritus æstimationem eorum præstet: quoties igitur non æstimatæ res in dotem dantur, & meliores, & deteriores mulieri fiunt.

§. 1. Si prædiis inæstimatis 31 aliquid accessit, hoc ad compendium mulieris pertinet: si aliquid decessit, mulieris damnum est.

§. 2. Si servi sobolem ediderunt, mariti lucrum non est 32:

§. 3. Sed fœtus 33 dotalium pecorum ad maritum pertinent: quia fructibus computantur, sic tamen, ut suppleri 34 proprietatem prius oporteat, & summissis in locum mortuorum capitum (ex) adgnatis, residuum in fructum maritus habeat: quia fructus dotis ad eum pertineat. §. 4. Si ante matrimonium æstimatæ res dotales sunt, hæc æstimatio quasi sub conditione est: namque hanc habet conditionem, si matrimonium fuerit secutum: secutis igitur nuptiis, æstimatio rerum perficitur, & fit vera 35 venditio.

§. 5. Inde quæri potest, si ante nuptias mancipia æstimata deperierint, an mulieris damnum sit: Et hoc consequens est dicere: nam cum sit conditionalis venditio, pendente autem conditione, mors contingens extinguat venditionem, consequens est dicere, mulieri periisse: quia nondum erat impleta venditio: quia æstimatio 36 venditio est. §. 6. Si res in dotem data fuerint, quamvis æstimatæ: verum convenerit, ut aut æstimatio, aut res præstentur; si quidem fuerit adjectum, utrum mulier velit, ipsa eliget, utrum malit petere rem, an æstimationem: verum si ita fuerit adjectum, utrum maritus velit, (ipsum erit electio): aut si nihil de electione adjiciatur, electionem habebit maritus, utrum malit res offerre, an pretium earum. Nam & \* cum illa aut illa res pro-

(29. l. 8. C. de pactis conventis. (30. l. 12. §. 1. infr. l. 10. C. h. tit. l. un. §. 9. C. de rei ux. act. l. 1. in fin. supr. de æstimator. (31. l. 75. infr. h. tit. (32. l. un. §. 9. C. de rei ux. act. arg. l. 28. §. 1. supr. de usur. (33. l. 7. in pr. supr. h. tit. (34. l. 68. in fin. l. 69. l. 70. supr. de usufruct. (35. l. 16. infr. h. tit. l. 3. infr. pro emptore. (36. v. l. 22. in pr. infr. rer. amotar.



mittitur, rei 37 electio est, utram præstet. Sed si res 38 non ex-  
stet, æstimationem omnimodo maritus præstabit.

11. PAULUS lib. 7. ad Sabinum.

**S**ane & deteriore factam reddere poterit.

*De re donationis causa minoris æstimata.* 1. *De circumventionem.* 2. *De pacto*, ut quod maritus debet, in dotem habeat.

12. ULPIANUS lib. 34. ad Sabinum.

**S**i res æstimata, post contractum matrimonium, donationis 39 causa, adprobetur, nulla est æstimatio; quia nec res distrahi 40 donationis causa potest; cum effectum inter virum, & uxorem non habeat: res igitur in dote remanebit. Sed si ante matrimonium, magis est, ut in matrimonii tempus collata donatio videatur: atque ideo non valet. §. 1. Si mulier se dicat circumventam 41 minoris (rem) æstimasse, ut puta servum: si quidem circum in hoc vendita est, quod servum dedit; non tantum in hoc, quod minoris æstimavit, in eo acturam, ut servus sibi restituatur: enimvero si in æstimationis modo circumventa est, erit arbitrium mariti, utrum justam æstimationem, an potius servum præstet. Et hæc, si servus vivit. Quod si decessit, Marcellus ait, magis æstimationem præstandam: (sed) non justam, sed eam, quæ facta est: quia boni consulere mulier debet, quod fuit æstimatus. Ceterum, si simpliciter 42 dedisset, procul dubio periculo ejus moreretur, non mariti. Idemque & in minore circumventa Marcellus probat. † Plane si emtorem habuit mulier justæ pretii, tunc dicendum, justam æstimationem præstandam, idque dumtaxat (uxori) minori annis præstandum, Marcellus scribit. Scævola autem in marito notat, si dolus ejus adfuit, justam æstimationem præstandam. Et puto verius, quod Scævola ait. §. 2. Si cum marito debitore mulier pacto sit, ut id, quod 43 debeat, in dotem habeat: dotis actione scilicet eam agere posse existimo. Licet enim ipso jure priore debito liberatus non sit, (sed) tamen exceptionem habere potest.

*De muliere ad eundem virum reversa.*

13. MODESTINUS lib. singul. de differentia dotis.

**S**i mulier post divortium, antequam ex stipulatu de dote agat, ad eundem virum fuerit reversa, constantius dicetur, per doli exceptionem inefficacem fieri ex stipulatu actionem, usque quo matrimonium durat.

*De re æstimata, & non tradita.*

14. ULPIANUS lib. 34. ad Edictum.

**S**i rem æstimatam mulier in dotem dederit, deinde, ea moram faciente in traditione, in rerum natura esse desierit, actionem eam habere non puto.

15. POMPONIUS lib. 14. ad Sabinum.

**Q**uod si per eam non stetit, perinde pretium aufert, ac si tradidisset: quia, quod evenit, emtoris 44 periculo est.

*De evictione.*

16. ULPIANUS lib. 34. ad Sabinum.

**Q**uoties res æstimata in dotem datur, evicta 45 ea, virum ex 46 emto, contra uxorem agere; & quidquid eo nomine fuerit consecutus, dotis actione, soluto matrimonio, ei præstare oportet: quare & si duplum forte ad virum pervenerit, id quoque ad mulierem redigetur: quæ sententia habet æquitatem: quia non simplex venditio sit, sed dotis causa: nec debeat maritus lucrari 47 ex damno mulieris; sufficit enim maritum indemnem præstari, non etiam lucrum sentire.

*De dolo, culpa, & diligentia.* 1. *De æstimatione, & nuptiis non secutis.*

17. PAULUS lib. 7. ad Sabinum.

**I**n rebus dotalibus virum præstare oportet tam dolum 48, quam culpam: quia causa sua dotem accepit: sed etiam diligentiam præstabit, quam in suis rebus exhibet. §. 1. Si, re æstimata nuptiæ secutæ non sint, videndum est, quid repeti debeat, utrum res, an æstimatio. Sed id agi videtur, ut ita demum æsti-

matio rata sit, si nuptiæ sequantur: quia nec alia causa contrahendi fuerit. Res igitur repeti debeat, non pretium.

*De re tantidem æstimata reddenda.*

18. POMPONIUS lib. 14. ad Sabinum.

**S**i mancipia 49 in dotem æstimata accepisti, & pactum conventum factum est, ut tantidem æstimata, divortio facto, redderes, manere partum eorum apud te, Labeo ait: quia & mancipia tuo periculo fuerint.

*Si alii jussu mariti dos detur.*

19. ULPIANUS lib. 34. ad Sabinum.

**E**tiam si alii jussu 50 mariti dos detur, nihilominus maritus de dote obligatur.

*De obligatione, vel exactione dotis collata in tempus mortis.*

20. PAULUS lib. 7. ad Sabinum.

**J**ulianus scribit, valere talem 51 stipulationem, cum morieris, dotis nomine tot dari: quia & pacisci soleant, ne a viva exhibeatur. Quod non esse simile accepi: aliud est enim differre exactionem, aliud, ab initio in id tempus stipulari, quo matrimonium futurum non sit; idque & Aristoni, & Neratio, & Pomponio placet.

*De nuncio remisso.*

21. ULPIANUS lib. 35. ad Sabinum.

**S**tipulationem, quæ propter causam dotis fiat, constat habere in se, conditionem 52 hanc, si nuptiæ fuerint secutæ: & ita demum ex ea agi posse, quamvis non sit expressa conditio si nuptiæ, constat: quare, si nuncius remittatur, defecisse conditio stipulationis videtur:

22. PAULUS lib. 7. ad Sabinum.

**E**t licet postea eidem nupserit, non 53 convalescit stipulatio.

*De dotis verbo non adjecto.*

23. POMPONIUS lib. 35. ad Sabinum.

**Q**uia autem in stipulatione non est necessaria dotis adjectio, etiam in datione tantumdem ducimus.

*De dote peculiari.*

24. POMPONIUS lib. 15. ad Sabinum.

**S**i filiafamilias nuptura ex peculio, cujus administrationem habet, dotem viro dedit; deinde, cum in eadem causa peculium ejus esset, divortium fecerit: dos ei recte 54 solvitur, quasi a quolibet peculiari debitore.

*De permutatione dotis.*

25. PAULUS lib. 7. ad Sabinum.

**S**i ei nuptura mulier, qui Stichum debebat, ita cum eo pacto est, pro Sticho, quem mihi debes, decem tibi doti erunt: secundum id, quod placuit, rem pro re solvi posse, & liberatio contingit, & decem in dotem erunt: quia & permutatio dotium conventionem fieri potest.

26. MODESTINUS lib. 1. Regularum.

**I**ta constante matrimonio permutari dotem posse dicimus, si hoc mulieri utile 55 sit: si ex pecunia in 56 rem, aut ex re in pecuniam. Idque probatum est:

27. ULPIANUS lib. 36. ad Sabinum.

**Q**uod si fuerit factum, fundus, vel res dotalis efficitur.

*De jure patris post nuptias.*

28. PAULUS lib. 7. ad Sabinum.

**P**ost nuptias 57 pater non potest deteriore causam filia face-  
re, quia nec reddi ei 58 dos, invita filia, potest.

*Si pater dotem pro filia legaverit.*

29. ULPIANUS lib. 36. ad Sabinum.

**C**um pater dotem pro filia promittit, & dotem legat: si quidem marito legavit, videndum est, an legatum valeat. Et non puto valere: nam cum creditori 59 debitor legat id, quod debet, nullum legatum est. Quod si filia legavit, valet legatum: dos enim ex promissione marito debetur, legatum filia. Et si quidem hoc animo testatorem esse filia 60 ostenderit, ut duplicaret 61 ei legatum: habebit utrumque: dotem, quam maritus persecutus fuerit, & legatum ex causa legati. Quod si alterutrum voluit habere: si mulier legatum petat, opposita doli exceptione non alias co-

(37. l. 34. §. 6. supr. de jurejur. l. 5. §. 1. supr. de depositi, l. 34. §. 6. supr. de contrah. emt. l. 7. §. 5. infr. de donat. inter vir. & ux. l. 6. §. 1. infr. de jure patron. l. 10. C. de condit. indeb. excip. l. 2. §. 3. supr. de eo, quod certo loco l. 23. infr. de legat. 2. (38. l. 95. in pr. & §. 1. infr. de solution. (39. l. 7. §. 5. infr. de donat. inter vir. & ux. (40. l. 38. supr. de contrah. emt. (41. v. l. 6. in fin. supr. h. t. l. 6. C. soluto matrim. (42. l. 10. in pr. & §. 1. supr. h. tit. (43. l. 58. §. 1. infr. eod. (44. l. 7. in pr. supr. de peric. & commod. rei vend. (45. l. 34. infr. l. 1. C. h. t. l. 98. in pr. infr. de solution. (46. l. 52. §. 1. supr. de act. emt. l. 11. C. de pact. (47. l. 6. in fin. supr. h. tit. (48. l. 18. §. 1. l. 25. §. 1. l. 66. in pr. l. ult. infr. soluto matrim.)

(49. l. pen. §. 3. infr. d. t. (50. l. 59. in pr. infr. h. t. l. 22. §. 12. infr. soluto matrim. (51. v. l. 11. C. de contrah. & committ. stipul. (52. l. 41. §. 1. l. 68. infr. h. t. l. 4. §. 2. supr. de pact. (53. arg. l. 89. §. 1. infr. de verb. sign. (54. l. 27. in pr. supr. de pact. l. ult. in pr. infr. de novat. (55. l. 21. in fin. l. 29. in pr. infr. de pact. dotal. (56. l. 54. infr. h. t. l. 21. inf. de pact. dotal. (57. l. 7. C. h. t. l. 7. infr. de pact. dotal. l. 29. in pr. infr. soluto matrim. (58. l. 34. §. 6. inf. de solution. l. 7. C. soluto matrim. (59. §. 14. Inst. de legat. (60. Immo vide l. 12. supr. de probat. (61. Fac. l. 34. §. 3. infr. de legat. 1.

getur ei heres legatum solvere, quam si caverit, indemnem hoc nomine heredem futurum adversus maritum ex promissione agentem. Sed si maritus agat, nihil de indemnitate eum cavere oportebit: verum mulier post eum agens, exceptione repellatur, quia semel dos praestita est.

*De redintegratione dotis.*

30. PAULUS lib. 7. ad Sabinum.

Dotem, quae in prius matrimonium data est, non aliter converti in posterius matrimonium dicendam est, quam cum hoc agitur: dum hoc agi semper interpretemur, nisi probetur aliud convenisse.

31. PAPIANUS lib. 4. Responsorum.

Quod si non divortium, sed jurgium fuit: dos ejusdem matrimonii manebit.

*De nummis ex re dotali receptis.*

32. POMPONIUS lib. 16. ad Sabinum.

Si ex lapidicinis dotalis fundi lapidem, vel arbores, quae fructus non essent, sive superficiem aedificii dotalis voluntate mulieris, vendiderit: nummi ex ea venditione recepti sunt dotis.

*De periculo dotis exigenda.*

33. ULPIANUS lib. 6. ad Sabinum.

Si extraneus sit, qui dotem promisit, isque defectus sit facultatibus: imputabitur marito, cur eum non convenerit: maxime si ex necessitate, non ex voluntate dotem promiserat: nam, si donavit, utcumque parcendum marito, qui eum non praecipitavit ad solutionem, qui donaverat: quemque in id, quod facere posset, si convenisset, condemnaverat. Hoc enim Divus Pius rescripsit, eos, qui ex liberalitate conveniuntur, in id 63, quod facere possunt, condemnandos. † Sed si vel pater, vel ipsa promiserunt, Julianus 64 quidem lib. XVI. Digestorum scribit, etiam si pater promisit, periculum respicere ad maritum. Quod ferendum non est: debet igitur mulieris esse periculum. Nec enim quicumque iudex propriis auribus audiet mulierem dicentem, cur patrem, qui de suo dotem promisit, non urserit ad exsolutionem: multo minus, cur ipsam non convenerit. Recte itaque Sabinus disposuit, ut diceret, quod pater, vel ipsa mulier promisit, viri periculo non esse; quod debitor, id viri esse; quod alius, scilicet donaturus, ejus periculo ait, cui acquiritur: acquiri autem mulieri accipimus, ad quam rei commodum respicit.

*De re matris a patre in dotem data.*

34. IDEM lib. 33. ad Sabinum.

Mater cum filiae aurum dedisset utendum, pater puellae id aurum in dotem viro adpendit; dein mortua est mater: si infamia, invitave uxore vir id aurum in dotem dedisset, manet id aurum heredis matris, vindicarique potest: & eo minorem dotem viro datam esse placuit: quia res evicta 65 est, marito competit adversus socerum actio.

*De dotis promissione novata.*

35. IDEM lib. 47. ad Sabinum.

Dotem a patre, vel a quovis alio promissam, si vir novandi causa stipuletur, coepit viri esse periculum, cum ante mulieris fuisset.

*De nomine in dotem dato, & acceptilatione, jussu mulieris, facta.*

36. IDEM lib. 48. ad Sabinum.

Debitor 66 mulieris, jussu ejus, pecuniam viro expromisit: deinde vir acceptam 67 eam jussu mulieris fecit: Res mulieris perit. Hoc quomodo accipimus? utrum dotis nomine, an (&) si alia ex causa? Et videtur de eo debitore dictum, qui dotis nomine promisit. Illud adhuc subest, utrum ante nuptias, an post nuptias id factum sit: multum enim interesse videtur: nam si secutis nuptiis id factum est, dote jam constituta, maritus accepto ferendo perdit dotem: si autem antequam nuptiae sequerentur, nihil videtur doti constitutum esse.

37. PAULUS lib. 12. ad Sabinum.

Non enim alias perit mulieri actio, quam si nuptiae secutae fuerint: nam si secutae non sunt, manet debitor mulieri obligatus.

38. ULPIANUS lib. 48. ad Sabinum.

Sane videndum est, an marito mulier, quae jussit accepto ferri, obligetur. Et putem obligari mandati actione: & hoc ipsum in dotem converti, quod mulier mandati iudicio obligata est. Et

quod dicitur, rem mulieri perire, consequens est: nam, si coeperit velle de dote agere, ipsa secum debet compensare justum suum.

*De servis manumissis. 1. De spadone.*

39. IDEM lib. 33. ad Edictum.

Si serva servo quasi dotem dederit, deinde constante conjunctione ad libertatem ambo pervenerint, peculio eis non adempto, & in eadem conjunctione permanserint: ita res moderetur, ut si quae ex rebus corporalibus, velut in dotem tempore servitutis datis, extiterint, videantur ea tacite in dotem conversa, ut earum aestimatio mulieri debeatur. §. 1. Si spadoni mulier nupserit, distinguendum arbitror, castratus fuerit, necne: ut in castrato dicas dotem non esse; in eo, qui castratus non est, quia est matrimonium, & dos, & dotis actio est.

*De renovatione dotis.*

40. IDEM lib. 34. ad Edictum.

Divus Severus rescripsit Pontio Luciano in haec verba: Si mulier, quae dotem dederat, post divortium rursus 68 in matrimonium redit, non revocatis instrumentis: non dubitabit is, apud quem res agetur, secundum voluntatem mulieris, quae utique non indotata redire in matrimonium voluit, partibus suis fungi, quasi renovata dote.

*Qui obligentur promittendo dotem. 1. De nuptiis non secutis.*

2. De acceptilatione. 3. De conditione.

4. Si mulier promissori successerit.

41. PAULUS lib. 35. ad Edictum.

Promittendo dotem, omnes obligantur, cujuscumque sexus 69, conditionisque sint. §. 1. Sed si nuptiae secutae non 70 fuerint, ex stipulatu agi non potest: magis enim res, quam verba intuenda sunt. §. 2. Accepti quoque latrone 71 dos constituitur, cum debitori marito acceptum feratur dotis constituendae causa.

§. 3. Si a debitore 72 mulieris sub conditione dos promittatur, & postea, sed antequam 73 maritus petere posset, debitor solvendo esse desierit: magis periculum ad mulierem pertinere placet: nec enim videri maritum nomen secutum eo tempore, quo exigere non poterit. † Quod si jam tunc debitor, cum sub conditione promitteret, solvendo non fuerit: periculum viri esse: quod sciens tale nomen secutus videretur, quale initio obligationis fuerit. §. 4. Si debitor mulieris dotem promiserit, & mulierem 74 heredem reliquerit: Labeo perinde habendum ait, ac si mulier ipsa dotem promississet: cujus sententiam Julianus quoque probat: nec enim aequum esse ait, ut ei damnetur ejus pecuniae nomine, quam ipsa debeat, & satis esse, acceptilatione eam liberari.

*De his, quae pondere, numero, mensurave constant.*

42. GAJUS lib. 11. ad Edictum provinciale.

Res in dotem datae, quae pondere, numero, mensura constant, mariti periculo sunt: quia in hoc dantur, ut eas maritus ad arbitrium suum distrahat; & quandoque, soluto matrimonio, ejusdem generis 75, & qualitatis alias restituat, vel ipse, vel heres ejus.

*De acceptilatione.*

43. ULPIANUS lib. 3. Disputationum.

Licet soleat dos per acceptilationem 76 constitui, tamen si ante matrimonium acceptilatio fuerit interposita, nec nuptiae secutae, Scævola ait, matrimonii causa acceptilationem interpositam, non secutis nuptiis, nullam esse: atque ideo suo loco manere obligationem. Quae sententia vera est. §. 1. Quotiens autem extraneus accepto fert debitori, dotis constituendae causa, si quidem nuptiae insecutae non fuerint, liberatio non sequetur: nisi forte sic accepto tulit, ut velit mulieri in totum donatum: tunc enim credendum est, brevi manu acceptum a muliere, & marito datum: ceterum mulieri per liberam personam conditio acquiri non potest. † Plane, secutis nuptiis, mulier soluto matrimonio dotis exactionem habebit: nisi 77 forte sic accepto tulit extraneus, ut ipse, quoquo modo solutum fuerit matrimonium, condictionem habeat: tunc enim non habebit mulier actionem. † Secundum quae constituta dote per acceptilationem, & secutis nuptiis, is effectus erit dotis exactioni, ut, si quidem pura sit obligatio,

(68. l. 30. supr. h. t. l. 19. infr. soluto matrim. (69. l. 12. l. ult. C. ad SC. Vellejan. (70. v. l. 21. supr. h. t. (71. l. 43. l. 44. §. 1. infr. eod. (72. v. l. 80. infr. eod. (73. l. 149. in pr. infr. soluto matrim. (74. l. 66. in fin. infr. d. t. (75. l. 3. supr. de reb. cred. (76. l. 41. §. 2. supr. h. tit. l. 10. supr. de condic. caus. dat. (77. l. 29. in fin. infr. soluto matrim. l. un. §. 13. C. de rei uxor. act.

(62. Immo vide l. 64. infr. h. t. (63. l. 12. infr. de donat. (64. l. 30. §. 1. infr. soluto matrim. (65. l. 16. supr. h. t. (66. l. 80. infr. eod. (67. l. 49. infr. eod. l. pen. §. pen. infr. soluto matrim.

quæ accepto lata est, non ipsa jam restituenda sit: sed solvenda dos secundum sua tempora. † Sin vero obligatio in diem fuit, nec ante solum matrimonium dies obligationis præterit, restauranda est in diem pristinum obligatio; & si debitum cum satisfactione fuerit, satisfactio renovanda est. Similique modo & si conditionalis fuerit obligatio, quæ in dotem conversa est, & pendente obligatione, divortium fuerit secutum: verius, obligationem sub eadem conditione restitui debere. Sed si conditio exstiterit, constante matrimonio, ex die 78 divortii tempora exactionis numerantur.

*De patre emancipante, vel defuncto. 1. De creditrice filii fam.*

44. JULIANUS lib. 16. Digestorum.

Si pater filia nomine dotem promississet, & eam ante nuptias emancipasset, non resolvitur promissio: nam & cum ante nuptias pater moreretur, nihilominus heredes ejus ex promissione obligati manebunt. §. 1. Quæ debitorem filium familias habet, si patri ejus ita dotem promiserit, quod mihi debes 79, vel quod mihi filius tuus debet, dori tibi erunt, non obligatur: sed efficit, ut id, quod actione de peculio servari a patre poterat, in dote sit. Marcellus: Sive igitur cum filio post hac, sive cum patre agere instituerit, exceptione 80 pacti conventi summovebitur: actione autem de dote si experietur, consequetur, quod in peculio fuisse apparuerit eo tempore, quo dos promittebatur; utique si post nuptias promissa, ejus temporis peculium æstimari debet, quo nuptiæ fierent.

45. TRYPHONINUS lib. 8. Disputationum.

Quod si nuptura debitori filio familias, actionem dumtaxat de peculio promissit: id, quod ex ea causa sibi deberetur, nuptiarum 81 tempore inspicitur. §. 1. Si vero alii nuptura, iussit filium familias debitorem de peculio dotem promittere, tempus inspicitur, quo dos promissa est: ut tantum in peculio esse æstimaretur.

*De dote servo promissa, vel tradita. 1. De ea, quæ debitori suo nupsit, & alternate dotem constituit. 2. Si pater pro filia, quasi ejus debitor, dotem promiserit.*

46. JULIANUS lib. 16. Digestorum.

Quemadmodum invito 82 domino servus stipulatus acquirit, ita, si dotem domini nomine sibi promitti patiat, obligatio domino acquiritur: sed neque periculum dominus præstare debet, si forte debitor mulieris dotem promiserit, neque culpam. † Traditione 83 quoque rei dotalis in persona servi, vel filii familias facta, dos constituitur: ita ut neque periculum, nec culpam dominus, aut pater præstet. † Igitur hanc dotem periculo mulieris esse dico, quamdiu dominus, vel pater ratam promissionem, vel donationem habuerit: ideoque etiam, manente matrimonio, res, quas tradiderit, conditione repetituram. † Item incerti conditione consecuturam, ut promissione liberetur. §. 1. Si debitori suo mulier nuptura, ita dotem promississet, Quod mihi debes, aut fundus Sempronianus dori tibi erit: utrum mulier vellet 84, id in dote erit, & si quidem debitum maluisset dotis nomine apud virum remanere, potest (ea) exceptione se tueri adversus petentem fundum: quod si fundum dedisset, pecuniam marito condicet.

§. 2. Pater, etiam si falso 85 existimans se filia suæ debitorem esse, dotem promississet, obligabitur 86.

*De eo, quod servus in dotem datus ante nuptias acquirit.*

47. IDEM lib. 18. Digestorum.

Si servo in dotem ante nuptias dato donatum aliquid, vel legatum ante nuptias fuisset, ampliatur dos, sicut ex fructibus 87 fundi, qui ante nuptias traditus est.

*De promissione dotis in anno proximo. 1. De eo, quod socer genero filia nomine legavit.*

48. IDEM lib. 2. ad Ursejum Ferocem.

Tali (facta) stipulatione, decem in anno proximo dotis nomine dare spondes? Quæsitum est, annus ex quo tempore esset numerandus; utrum ex die stipulationis factæ, an ex eo die, quo dos esse potuisset, id est, nuptiarum. Et responsum est, ex die nuptiarum annum esse numerandum: ne, si aliter observaremus, si intra annum nuptiæ factæ non sint, videri possit dos ex ea obligatione deberi. §. 1. Socer genero suo sic legaverat: Lucio Titio

(78. l. 30. vers. omnis autem C. h. t. l. 7. §. 4. C. de præscr. 30. vel 40. an. nor. (79. v. l. 41. §. 2. supr. h. t. (80. v. l. 7. in fin. supr. eod. (81. Immo vide l. 57. inf. eod. (82. v. l. 32. infr. de acquir. rer. domin. (83. §. 3. Inst. per quas person. cuique. (84. Immo vide l. 9. §. 1. infr. de fundo dotali. (85. l. 78. in fin. infr. h. t. (86. arg. l. ult. vers. neque enim leges C. de dotis promiss. (87. l. 7. §. 1. supr. h. t.)

filia mea nomine centum heres meus damnas esto dare. Hanc pecuniam generum petere debere: exactam, acceptam legatis referri: sed divortio facto de dote actionem mulieri reddendam, Proculus respondit: & nihilominus dotis esse factam. Julianus notat: imo nec filia, si voluerit, deneganda est hujusmodi actio.

*De acceptilatione.*

49. IDEM lib. 5. ex Minicio.

Vir ab eo, qui uxori ejus dotem facere volebat, certam pecuniam eo nomine stipulatus est; deinde acceptam eam fecit: quærebatur, essetne ea pecunia in dotem? Respondit, Si acceptam non fecisset, & promissor solvendo esse desisset, quæreremus, an culpa mariti ea pecunia exacta 88 non esset: cum vero acceptam fecit, omnimodo periculum ad eum pertinebit; perinde enim est, ac si acceperit pecuniam, & eandem promissori donaverit.

*De permutatione dotis. 1. Vel pignoris.*

50. AFRICANUS lib. 8. Quæstionum.

Quæ fundum in dote habebat, divortio facto, cum in matrimonium rediret, pacta est cum viro, uti decem in dotem acciperet, & fundum sibi restitueret; ac datis decem, prius quam fundus ei restitueretur, in matrimonio decessit. Illud ex bona fide est, & negotio contracto convenit, ut fundus, quasi sine causa penes maritum esse cœperit, condicatur. §. 1. Et hoc evidentius circa 89 actionem pignoratitiam apparebit. Etenim si cum fundum Cornelianum pignoris causa tibi tradidisset, postea ex conventionione fundum Titianum in hoc (tibi) tradiderim, ut Cornelianum mihi restitueres: minime, puto, dubitandum erit, quin statim recte pignoratitia ad recipiendum Cornelianum agere possim.

*De rebus filia emancipatae donatis, posteaque in dotem datis.*

51. ULPIANUS lib. 2. Responsorum.

Si res, quas filia emancipata pater donavit, ex voluntate ejus, postea in dotem pro ea data sunt: a filia dotem, non a patre videri datam.

*De evictione.*

52. MARCIANUS lib. 3. Regularum.

Non solum si æstimatus fundus, sed etiam si non æstimatus in dotem datus est, & alias, cum necesse non habeat mulier duplum promittere, promissit: quia ipse fundus est in dote, quodcumque propter eum consecutus fuerit a muliere maritus, quandoque restituet mulieri de dote agenti.

*Si vir donandi causa a debitore mulieris, qui solvendo non erat, stipulatus sit.*

53. NERATIUS lib. 3. Membranarum.

Cum vir uxori donare vellet, debitor mulieris, qui solvendo non erat, dotem ei promissit: Ad id dumtaxat, ad quod solvendo fuit, viri periculo ea res est: & si quid debitori ad solvendum facultatis accesserit, periculum ad eam summam, quæ accesserit, crescet; permanebitque, etiam si rursus pauperior factus erit: quia neque tum, cum dos promitteretur, donatio facta est, nisi ejus pecuniæ, quæ a debitore servari non poterat: neque, cum solvendo (is) esse cœpit, donationis causa permaneat; cum eo loco res sit, quo esset, si tum quoque cum promitteretur dos, locuples fuisset.

*De rebus ex dotali pecunia comparatis.*

54. GAJUS ad edictum Prætoris (Urbani) titulo de prædicatoribus.

Res, quæ ex dotali pecunia comparatae sunt, dotales esse videntur 90.

*De fidejussore.*

55. PAULUS lib. 1. ad Plautium.

Cum dotis causa aliquid expromittitur, fidejussor eo nomine datus tenetur.

*De morte Stichii dotis nomine solvendi. 1. Ubi debet esse dos.*

2. De oneribus matrimonii. 3. De impensis in res dotales factis.

56. IDEM lib. 6. ad Plautium.

Si is, qui Stichum mulieri debet 91, in dotem delegatus sit, & antequam solveret debitor, Stichus decesserit: cum neque per debitorem stetisset, quo minus solveret, neque maritus (in) agendo moram fecisset: periculo mulieris Stichus morietur: quamquam etiam si moram maritus fecerit in exigendo, si tamen (etiam) apud maritum moriturus Stichus fuerit, actione dotis maritus non teneatur. §. 1. Ibi 92 dos esse debet, ubi onera matrimonii

(88. l. 33. supr. eod. (89. l. 9. §. 3. sup. de pignorat. act. (90. l. 26. sup. h. t. l. 22. in fin. inf. solut. matrim. immo vide l. 12. C. h. t. l. ult. C. de serv. pign. dato. (91. v. l. 80. inf. h. t. (92. l. 75. in fin. inf. eod. l. 65. in fin. sup. pro soc. sume.

funt. §. 2. Post mortem patris statim onera matrimonii filium sequuntur: sicut liberi 93, sicut uxor. §. 3. Quod dicitur, *necessarias 94 impensas ipso jure dotem minuere*: non 95 eo pertinet, ut, si forte fundus in dote sit, desinat aliqua ex parte dotalis esse; sed, nisi impensa reddatur, aut pars fundi, aut totus retineatur. Sed si tantum in fundum dotalem impensum sit per partes, quanti fundus est: desinare eum dotalem esse, Scævola noster dicebat: nisi mulier sponte marito intra annum impensas obtulerit. Si pecunia, & fundus in dote sint, & necessaria impensa in fundum facta, Nerva ait, dotem pecuniariam minui. Quid ergo, si mulier impensas marito solverit? utrum crescat dos, an ex integro data videbitur? Cujus rei manifestior iniquitas in fundo est, secundum Scævola nostri sententiam: nam, si desinit dotalis esse poterit alienari; rursus quemadmodum poterit fieri dotalis data pecunia? an jam pecunia in dote esse videbitur? & magis est, ut ager in causam dotis revertatur, sed interim alienatio fundi inhibeatur.

*Si creditrix filiam. ei nupsit.*

57. JAVOLENUS lib. 1. ex Plautio.

**N**uptura filiofamilias, si focero dotem ita promiserit: *Quod 96 filius tuus mihi debet, id doti tibi erit*: interesse puto, utrum filii obligatio, an patris persecutio & in rem versum promissioni contineatur: Nam si id, quod filium dare oportet, significatum est, tota pecunia, in quam filius obligatus est, promissioni dotis continebitur: sin autem id, quod patrem de peculio, vel in rem verso præstare oportebit, æstimare debet, quantum sit eo tempore id, quod permittitur 97: ut ea summa dotis esse videatur, qua patrem eo tempore filii nomine condemnari oportebit, quod si non evidenter apparuit, de cujus mulier obligatione sensit: præsumptionem ad filii debitum spectare verisimile est: nisi evidentissime contrarium adprobetur.

*Si quis ei dotem promiserit, cui mulier nubere volebat.*

1. *Si debens Pamphilam, quod debet, in dotem acceperit.*

58. CELSUS lib. 19. Digestorum.

**S**i, sponsalibus nondum factis, Titio dotem Seji nomine promiseris, cum ea nubere ei nollit, tamen, si postea nupsit, dotem debebis: nisi alia nuptiæ mediæ 98 intervenissent. §. 1. Si mulier ancillam Pamphilam a Titio stipulata, deinde ei nuptura, *quod is sibi debebat*, doti habere permisit: etiam si non erit viri Pamphila, an ipsa 99 tamen Pamphila in dote, & mulieris periculo erit? an & quod ea pepererit (reddi mulieri debet)? quia, si in sua causa prior stipulatio mansisset, non redderetur: nisi forte refert, habuerit rem, quam debebat vir, quo tempore dos constituebatur: (nam ita poterit videri res ipsa ad eum pervenisse); an non habuerit: nam si non habuerit, magis est, ut liberatio obligationis potius, quam res ipsa ad eum (ita) pervenisse videatur: ideoque partus ejus non debetur.

*De adiecto. 1. De fideicommissio. 2. Si quis pro libera opinata dotem dederit.*

59. MARCELLUS lib. 7. Digestorum.

**S**i mulier ita dotem promiserit, *decem tibi, aut Titio doti erunt*: hoc casu dici potest, vel Titio dari posse: sed de dote virum teneri, quemadmodum si Titio jussisset 100 dari. Nec mirum, cum etiam promissura viro dotem, possit, delegante eo, alteri promittere: etsi dici solet, alii, quam marito, dotis nomine mulierem non posse obligari. His enim casibus viro dos quæritur: non enim existimabimus illam ita promississe, cum vel de Titii nuptiis cogitaret. §. 1. Ex asse heres institutus, rogatusque mulieri dodrantem hereditatis restituere: jussu ejus, quod debet, doti promisit marito: vereor, non sit obligatus. Nam mulieri in hoc tenetur, ut hereditatem restituendo transferat actiones, & quas habet, & quibus est obstrictus: quas transferre ad alium, quam cui debet fideicommissum, non potest. Aliquis dixerit, incerti cum eo agi posse, (ut) fideicommissi præstet æstimationem. Huic ergo consentire non possum: nam obligari mulieris debitorem ita æquum est, si accipere id ipsum, quod ei debetur, vir potest. Sed ne indotata mulier esse videatur, dicendum est, ipsi mulieri ex Trebelliano restituendam esse partem hereditatis, quæ ei relicta est, ut ea suo marito pro dote eam solveret: quia & ad eam fideicommissum, & onera ejus pertinent; delegatione propter nimiam subtilitatem,

(93. l. 5. sup. de his, qui sui vel alien. jur. l. 46. sup. famil. erisc. (94. l. 15. infr. de impens. in res dotal. (95. l. 5. in pr. infr. d. t. (96. l. 44. §. 1. sup. h. t. (97. Immo vide l. 45. in pr. sup. cod. (98. l. 68. infr. cod. (99. l. 12. in fin. sup. cod. (100. l. 19. sup. cod.

& casus necessitatem minime obtinente. §. 2. Ejus nomine, quæ libera videbatur, decem in dote dedisti: eo casu habebis conditionem, quo habere potuisses, si mulieris libera nomine dedisses, nec nuptiæ secuta essent. Si manumissa nupsit, ita demum dos erit, si ea mente dedisti, ut quandoque secutis nuptiis dos esset. Igitur, si mulieri donaturus dedisti, dominus condicet, quemadmodum si eum, qui sibi donaturus esset, mulieri ipsam donare jussisset.

*De curatore modum dotis constituyente.*

60. CELSUS lib. 11. Digestorum.

**Q**uæro, quantæ pecuniæ dotem promittenti adultæ mulieri curator consensum accommodare debeat: Respondit, modus ex facultatibus 101, & dignitate mulieris, maritique statuendus est, quousque ratio patitur.

1. *Utrum res, an pretium curator in dotem dare debeat.*

61. TERENCEUS CLEMENS lib. 3. ad Legem Juliam, & Papiam.

**S**ive generalis 102 curator, sive dotis 103 dandæ causa constitutus sit, & amplius doti promissum est, quam facultates mulieris valent, ipso 104 jure promissio non valet: quia \* Lege rata non haberetur auctoritas dolo malo facta. Quærendum tamen est, utrum tota obligatio, an quod amplius promissum est, quam promitti oportuit, infirmetur. (Et) utilius est dicere, id, quod superfluum est, tantummodo infirmare. §. 1. Iste autem curator res dotis nomine tradere debet: non (etiam) ut vendat cuilibet, & pretium ejus in dotem det. Dubitari autem potest, an hoc verum sit: quid enim, si aliter honeste nubere non possit, quam ut pecuniam in dotem det: idque ei magis expedit? Atquin possunt res in dotem datæ plerumque alienari, & pecunia in dotem converti: Sed (ut expediatur quæstio) si quidem res in dotem maritus accipere maluerit, nihil amplius quærendum est: sin autem non aliter contrahere matrimonium vir patitur, nisi pecuniis in dotem datis: tunc officium est curatoris apud eundem intrare judicem, qui eum constituit, ut iterum ei, causa cognita etiam viro absente, permittat, rerum venditione celebrata, dotem constituere.

*De restitutione in integrum.*

62. MODESTINUS lib. 5. Responsorum.

**T**itia, cum esset minor vigintiquinque annis, quartam hereditatis matris suæ communem sibi cum fratribus mutavit; & accepit pro ea parte fundum, quasi 105 emtione inter se facta: hunc fundum cum aliis rebus doti dedit: Quæro, si in integrum restituatur, & partem suam accipiat quartam, & reddat fundum: quid debeat maritus facere: an contentus esse debeat aliis rebus in dotem datis. Item quæro, si hæc decesserit, & heredes ejus in integrum restitutionem ex persona ejus petierint; & ipsi petant quartam partem, & illi fundum: an maritus cogatur restituere fundum, contentus in retentione lucri dotis ceteris rebus: Modestinus respondit, nihil proponi, cur marito dos auferenda sit: sed in meram æstimationem prædii mulier, vel ejus heredes condemnandi sunt, in hoc tempus referendam, quo in dotem datus est.

*De redintegratione matrimonii, & dotis.*

63. IDEM lib. singulari de Eurematicis.

**S**tipulatio de dote reddenda ab 106 extraneo interposita, facto divortio, statim committitur: nec, redintegrato matrimonio, actio stipulatori quæsitæ intercidit. Denuo igitur, consentiente 107 stipulatore, dos constituenda est, ne sequenti matrimonio mulier indotata sit: si modo ea dos non ab ipsa profecta sit, quam alius permisso ejus stipulatus est; tunc enim consensus ejus non est necessarius.

64. JAVOLENUS lib. 4. ex Cassio.

**P**ost divortium mulier, si de dote maritus nihil cavet, & cum alii 108 nupsisset, postea ad priorem virum rediit: tacite 109 dos ei redintegratur.

*De eo, quod servus dotalis acquirit.*

65. POMPONIUS lib. 5. ad Quintum Mucium.

**S**i legato, aut hereditate aliquid servo dotali obvenit, quod testator noluit ad maritum pertinere, id soluto matrimonio reddendum est mulieri.

(101. l. 69. §. 4. infr. cod. l. 43. infr. de legat. 3. (102. l. 28. C. h. t. (103. l. 7. infr. de tutor. dat. (104. l. 9. §. 1. sup. de minor. (105. v. l. 2. C. de rer. perm. (106. l. 42. in fin. infr. soluto matrim. (107. Fac. l. 13. §. ult. sup. locati. l. 29. §. 1. infr. de pacto dotali. (108. l. pen. §. 5. infr. solut. matrim. (109. Immo vide l. 30. sup. h. t.

*De usufructu in dotem dato.*

66. IDEM lib. 8. ad Quintum Mucium.

Si usufructus 110 fundi, cujus proprietatem mulier non habebat, dotis nomine mihi a domino proprietatis detur, difficultas erit post divortium circa reddendum jus mulieri: quoniam diximus, usufructum a fructuario cedi non posse 111, nisi domino proprietatis: & si extraneo cedatur, id est, ei, qui proprietatem non habeat, nihil ad eum transire: sed ad dominum proprietatis reversurum usufructum. Quidam ergo, remedii loco, recte putaverunt introducendum, ut vel locet hunc usufructum mulieri maritus, vel vendat nummo uno 112: ut ipsum quidem jus remaneat penes maritum: perceptio vero fructuum ad mulierem pertineat.

*De pecunia dotis nomine data ab ancilla.*

67. PROCULUS lib. 7. Epistolarum.

*Proculus nepoti suo salutem.* Ancilla, quæ nupsit, dotisque nomine pecuniam viro tradidit, si sciatur (se) ancillam esse, si ignoret, non poterit eam pecuniam viro facere: eaque nihilominus mansit ejus, cujus fuerat, antequam eo nomine viro traderetur: nisi forte ufucapta 113 est: nec postea, quam apud eundem virum libera facta est, ejus pecuniæ causam mutare potuit. Itaque nec facta quidem divortio, aut dotis jure, aut per conditionem repetere recte potest: sed is, cujus pecunia est, recte vindicat eam. Quod si vir eam pecuniam pro suo possidendo usufruxit, scilicet quia existimavit mulierem liberam esse: propius est, ut existimem eum lucrificasse: utique, si antequam matrimonium esse inciperet, usufruxit. Et in eadem opinione sum, si quid ex ea pecunia paravit, antequam ea dos fieret: ita ut nec possideat eam, nec dolo fecerit, quominus eam possideret.

*De confirmatione dotis ex postfacto.*

68. PAPINIANUS lib. 10. Quæstionum.

Dotis promissio non ideo minus valebit, quod ignorante initio patre, nuptiæ (non) fuerint, si postea consenserit: cum \* omnis dotis promissio, futuri matrimonii tacitam 114 conditionem accipiat. Nam & si minor annis duodecim, ut major, deducta sit, tunc 115 primum petetur, cum major annis apud eundem esse coeperit: quod enim vulgatum est, *dotis promissionem in primis dumtaxat nuptiis destinari, neque durare 116 obligationem, si post alterius matrimonium ei nubat, cui dotem promiserat, tunc locum habet, cum intercesserunt alia nuptiæ.*

*Si post divortium mulier, viro sciente, sit in possessione. 1. De usuris. 4. De stipulatione dotis, non demonstrata re, vel quantitate. 5. De modo dotis per tutorem constituendo. 6. Si patrona pro liberta dotem promiserit. 7. De evictione. 8. Et dominio rerum æstimatorum. 9. De partu ancillæ.*

69. IDEM lib. 4. Responsorum.

Cum post divortium, viro sciente, mulier in possessionem prædiorum, quæ in dotem promissit, longo tempore fuerit: convenisse tacite videtur, *ne dos, quæ promissa fuerat, petatur: & si petere ea coeperit, pacti exceptione a muliere repellitur. §. 1. Mulier pecuniam sibi debitam a Sejo cum usuris futuri temporis in dote promittenda demonstravit: Eas quoque dotis portionem esse, 117 quarum dies post nuptias cessit, rationis est. §. 2. Usuras dotis in stipulatum cum dote post divortium deductas, ex die secundi matrimonii non esse præstandas, placuit: quia nec fortis exactio locum habere coepit: medii autem temporis debebuntur.*

§. 3. In domum absentis, uxore deducta, nullis 118 in eam interea ex bonis viri sumptibus factis, ad exhibitionem uxoris promissas usuras reversus vir improbe petit. §. 4. Gener a focero dotem, *arbitratu 119 foceri certo die dari, non demonstrata (re, vel) quantitate, stipulatus fuerat: Arbitrio quoque detracto, stipulationem valere placuit: nec videri simile, quod, fundo non demonstrato, nullum esse legatum, vel stipulationem fundi constaret: cum inter modum constituendæ dotis, & corpus ignotum differentia magna sit: dotis 120 etenim quantitas pro 121 modo facultatum patris, & dignitate mariti constitui potest. §. 5. Nuptiis ex voluntate 122 patris puellæ cum filio tutoris jure contractis, dos pro modo facultatum, & dignitate natalium 123 recte per tuto-*

(110. v. l. 57. infr. solut. matrim. (111. §. 3. Inst. de usufr. (112. l. 46. supr. locati. (113. Immo vide l. 1. in fin. infr. pro dote. (114. l. 10. §. 4. supr. h. t. (115. v. l. 10. in pr. infr. de condit. & demonstr. (116. v. l. 58. in pr. supr. h. t. (117. Immo v. l. 77. infr. eod. (118. l. 42. §. 2. infr. solut. matrim. (119. l. 3. C. de dotis promiss. (120. Adde l. 30. infr. de legat. 2. (121. §. 5. infr. hic. l. 60. supr. h. t. (122. v. l. 66. in pr. supr. de ritu nuptial. (123. l. 60. supr. h. t.

tem constitui potest. §. 6. Patrona dotem pro liberta jure promissam, quod extiterit ingrata, non retinebit 124. §. 7. Cum res in dotem æstimatas, soluto matrimonio, reddi placuit, summa declaratur, non venditio contrahitur; ideoque rebus evictis si mulier bona 125 fide eas dederit, nulla est actio viro; alioquin de dolo tenetur. §. 8. In dotem rebus æstimatis (&) traditis, quamvis ea mulier in usu habeat, viri dominium 126 factum videretur. §. 9. Partum 127 dotalium ancillarum dotis esse portionem convenit: ideoque frustra pacisci virum, *ut inter uxorem, & se partus communis sit.*

*De favore dotis.*

70. PAULUS lib. 6. Quæstionum.

In ambiguis pro dotibus 128 respondere melius est.

*De periculo nominis dotalis.*

71. IDEM lib. 13. Quæstionum.

Cum dotem mulieris nomine extraneus promissit, mulieris periculum est: (sed) si maritus nomen secutus usuras exegerit, periculum ejus futurum respondetur.

*De omnibus bonis in dotem datis. 1. De dolo, & culpa patris mariti. 2. Si mulier matrem, quæ stipularetur, adhibuit.*

72. IDEM lib. 8. Responsorum.

Mulier bona sua omnia 129 in dotem dedit: Quæro, an maritus, quasi heres, oneribus respondere cogatur. Paulus respondit, eum quidem, qui tota ex repromissione dotis bona mulieris retinuit, a creditoribus conveniri ejus non posse: sed non plus esse in promissione bonorum, quam quod superest, deducto 130 are alieno, §. 1. (Paulus respondit,) in rebus dotalibus etiam 131 patrem mariti dolum, & culpam præstare debere. §. 2. Paulus respondit: Si mulier de suo dotem dedit, & adhibuit matrem, quæ stipularetur: potuisse eam 132 postea instrumentum dotale mutare.

*De muto, surdo, cæco. 1. Quibus ex causis, stante matrimonio, dos mulieri reddi potest.*

73. IDEM lib. 2. Sententiarum.

Mutus, surdus, cæcus dotis nomine obligantur, quia 133 & nuptias 134 contrahere possunt. §. 1. Manente matrimonio, non perdituræ uxori ob has causas dos reddi potest: ut sese, suosque alat; ut fundum idoneum emat, ut in exilium, ut in insulam relegato parenti 135 præstet alimonia; aut ut egentem virum, fratrem, sororemve sustineat.

*De sponsa. De minore duodecim annis.*

74. HERMOGENIANUS lib. 5. Juris Epitomarum.

Si sponsa dotem dederit, nec nupsit; vel minor duodecim annis, ut uxor habeatur: exemplo dotis, conditioni, favoris ratione, privilegium 136, quod inter personales actiones vertitur, tribui placuit.

*Cujus sit dos.*

75. TRYPHONINUS lib. 6. Disputationum.

Quamvis in bonis 137 mariti dos sit, mulieris 138 tamen est: & merito placuit, ut si in dotem fundum inæstimatum dedit, cujus nomine duplæ stipulatione cautum habuit, isque marito evictus sit 139, statim eam ex stipulatione agere posse. Porro cujus interest non esse evictum, quod in dote fuit, quodque ipsa evictionem pati creditur ob id, quod eum in dotem habere desiit: hujus etiam, constante matrimonio, quamvis apud maritum 140 dominium sit, emolumentum 141 potestatem esse creditur; cujus etiam matrimonii onera maritus sustinet.

*De donatione mortis causa, vel promissione in tempus mortis collata.*

76. IDEM lib. 9. Disputationum.

Si pater mulieris mortis suæ causa dotem promiserit, valet promissio. Nam & si in tempus, quo ipse moreretur, promississet, obligaretur: sed si convaluerit, cur ei non remittatur obligatio per conditionem 142, atque si stipulanti quivis alius promississet, aut dotem alicujus nomine? nam ut corporis, vel pecu-

(124. Adde l. 24. C. eod. (125. l. 1. C. eod. (126. Adde l. 51. infr. solut. matrim. l. 10. in pr. supr. h. t. (127. l. un. §. 9. C. de rei uxor. act. (128. l. 85. in pr. infr. de reg. jur. (129. v. l. 4. C. h. t. (130. v. l. 2. §. 1. infr. de collat. (131. l. 36. supr. de pecul. (132. l. 2. in fin. C. h. t. (133. Adde l. 8. infr. de pact. dotal. (134. l. 43. in pr. infr. de vulgar. & pupill. substit. (135. l. 20. infra soluto matrim. (136. l. 17. in fin. infr. de reb. auct. judic. possid. (137. l. 7. §. ult. supr. h. t. l. 21. §. 4. infr. ad municipal. (138. l. 30. C. h. t. (139. l. 22. §. 1. supr. de evict. (140. d. l. 7. §. ult. (141. l. 10. §. 1. supr. h. t. (142. l. 7. §. ult. supr. eod. v. l. 30. infr. de mor. t. caus. donat.

nia translata, ita obligationis constituta mortis causa conditio est. Non idem dicendum est in persona mulieris, si (mulier) mortis (sua) causa dotem promiserit, quia nisi matrimonii oneribus seruiat, dos nulla est.

*De usuris.*

77. IDEM lib. 10. Disputationum.

Si mulier debitori suo, qui sub usuris debebat, nuptura dotem promississet, quod is sibi deberet, post contractas nuptias secuti temporis usuras non 143 esse dotales: quia illa obligatio tolleretur, perinde ac si solum debitum mulieri in dotem ab ea datum esset.

*De usufructu. 4. Vel communi fundo in dotem dato.*

5. De eo, qui per errorem promisit.

78. IDEM lib. 11. Disputationum.

Cum in fundo mariti habens mulier usufructum 144, dotis causa cum marito dedit, quamvis ab ea usufructus decesserit, maritus tamen non usufructum habet, sed suo fundo quasi dominus utitur, consecutus per dotem plenam fundi proprietatem, non separatam ab usufructu, nec est, quod non utendo maritus amittat. Divortio autem facto, constituet 145 in eodem fundo usufructum mulieri. Quod si in matrimonio decesserit uxor, nihil emolumenti ob dotem habere videtur maritus: quia, etsi uxorem eam non duxisset, fructuaria morte finitus usufructus ad proprietatem rediret: ideoque 146 nec in funus confert mulieris.

§. 1. Plane si pater filiae nomine, qui in fundo generi usufructum habebat, dotis constituenda gratia eum dederit, & in matrimonio mortua fuerit, habebit ex sua persona usufructus petitionem. §. 2. Quod si mulier, in fundo suo, marito usufructum dotis causa constituerit, tunc ex mariti persona erit usufructus proprie, qui & non utendo ipsius pereat. Quod si acciderit, videamus, an etiam nunc dotata sit mulier? Et si quidem dominium apud mulierem est fundi, ad quem reversus est usufructus, nihil jam in dote habet, quod actione dotis consequatur ab eo, cui, quod non utendo amisit usufructum, imputari non potest, ex quo ipsa lucrum habet: ideoque indotata erit. Quod si alienaverit uxor proprietatem, quae sine ullo mulieris emolumento plenior facta est, adhuc dotata est: quia dotis actione teneri debet maritus, qui, quando licuit usufructu uti, amisit eum non 147 utendo. Nam, si habere perseverasset usufructum ad divortium, commo mulieris cederet ejus restitutio: quia etsi non protinus ad ipsam transiret, ramen vel (si) pretio, vel beneficio, sine incommodo mulieris ad proprietatem revertetur: Si autem usufructum maritus non amiserit, morte mulieris non finitur usufructus apud maritum. Divortio autem facto, primo videamus & in hac, & in superiore specie, an pro rata temporis ejus anni dividantur fructus, quod probandum est. Ipsi autem restitutio ita fiet, ut habenti mulieri fundum, usufructus cedatur, & ita cum proprietate consolidetur. Sed etsi non sit fundi domina, nihilominus competit dotis actio, ut dimittat a se maritus usufructum. Nam vel ex emto actione adhuc, ut usufructum praestet, mulier tenetur: aut pretium ejus consequi sperat: aut cuius magis gratiam praestare, quam relinquere apud inimicum 148 jus ad se translatum, licere ei civile est. §. 3. Uxor viro usufructum dotis nomine dedit: manente matrimonio eidem fundum vendidit: Quaesitum est, divortio facto, quid dotis iudicio recipere debeat? Dixi, referre, quanti fundus venisset: nam si nudae proprietatis aestimatio facta fuisset, mulier dotis iudicio pretium usufructus recipere debet.

† Quid ergo est, si vir ante litem contestatam mortuus fuisset? heredes ejus nihil praestituros: nam etsi quilibet alius emtor proprietatis existisset, heres viri nihil mulieri praestaret, scilicet usufructu reverso ad proprietatem. Ceterum si fundus totus venisset, quanti debet venire (non) detracto usufructu, intelligi, mulierem dotem, manente matrimonio, recepisse. §. 4. Si fundus communis in dotem datus erit, & socius egerit cum marito communi dividendo, adjudicatusque 149 fundus socio fuerit, in dote erit quantitas, qua socius marito damnatus fuerit: Aut si, omnia licitatione, extraneo addictus is fundus fuerit, pretii portio, quae distracta est; sed ita, ut non vice corporis habeatur: nec divortio secuto praesenti die, quod in numero est, restituatur: sed statuto (tempore) solvi debeat. Quod si marito fundus fuerit adjudica-

tus, pars utique data in dotem dotalis manebit: divortio autem facto sequetur restitutionem, propter quam ad maritum pervenit, etiam altera portio: scilicet ut recipiat tantum pretii nomine a muliere, quantum dedit ex condemnatione socio: nec audiri debet alteruter eam aequitatem recusans; aut mulier in suscipienda parte altera quoque, aut vir in restituenda. Sed an constante matrimonio non sola pars dotalis sit, quae data fuit in dotem, sed etiam altera portio, videamus? Julianus de parte tantum dotali loquitur: Et ego dixi in auditorio, illam solam dotalem esse.

§. 5. Si marito dotis nomine stipulanti 150 promisit per errorem 151 is, qui exceptione tutus erat, ne solvat, cogetur ei solvere, & habebit conditionem adversus mulierem, aut patrem, uter eorum delegavit, ob id, quod indebitum marito promisit, aut solvit.

*De dote profecta ab avo. De promissione cum commodissimum erit.*

79. LABEO Posteriorum lib. 6. a Javoleno Epitomatorum.

Avus neptis nomine filio natae genero dotem dedit, & moritur: Negat Servius, dotem ad patrem reverti 152, & ego cum Servio sentio: quia non potest videri ab eo profecta, quia nihil ex his sui habuisset. §. 1. Pater filiae nomine centum doti ita promisit, cum commodissimum esset: Atejus scripsit, Servium respondisse, cum primum sine turpitudine, & infamia dari possit, deberi.

*Si debitor mulieris sponso promiserit.*

80. JAVOLENUS lib. 6. ex Posterioribus Labeonis.

Si 153 debitor 154 mulieris dotem sponso promiserit: posse mulierem ante nuptias a debitore eam pecuniam petere, neque eo nomine postea debitorem viro obligatum futurum, ait Labeo. Falsum est: quia ea promissio in pendentem esset, donec obligatio in ea causa est.

*De nummis alienis.*

81. PAPINIANUS lib. 8. Quaestionum.

Pater filiae nomine nummos alienos 155, quos mutuos accepit, aut in causam crediti receperat, in dotem dedit: Consumtis his, dos profectitia efficitur.

82. PROCULUS lib. 5. Epitolarum.

Cum uxor virum suum, quam pecuniam sibi deberet, in dotem filiae communis dare iusserit, & id fecisse dicatur: puto animadvertendum esse, utrum eam dotem suo, an uxoris nomine dedit: si suo 156, nihilominus uxori eum debere pecuniam; si uxoris nomine dederit, ipsum ab uxore liberatum esse.

*Si debitor mulieris sponso promiserit.*

83. JAVOLENUS lib. 6. Posteriorum Labeonis.

Si 157 debitor mulieris dotem sponso promiserit, non posse mulierem ante nuptias a debitore (eam) pecuniam petere: quia ea promissio in pendentem esset, donec obligatio in ea causa est.

*In quantum condemnatur qui dotem promisit.*

84. LABEO lib. 6. Pithanon a Paulo Epitomatorum.

Si de dote promissa agitur, non oportet, in quantum facere potest, condemnari eum, qui promisit. Paulus; Imo quod ad extraneum attinet, semper hoc verum est: Ceterum si manente 158 adfinitate dotem promissam generi a focero petit, utique, in quantum facere potest, focer condemnabitur: si diremto matrimonio petitur, ex causa 159, & persona id tribuendum puto. Quid enim, si focer specie futurae dotis induxerit genero: & cum sciret se praestare dotem non posse, id egerit, ut genero insidiaretur?

*De dote mulieri reddita, manente matrimonio.*

85. SCAEVOLA lib. 8. Digestorum.

Fundum filiae nomine pater in dotem dederat: hujus heredi filiae ex asse, creditoribus urgentibus patris, utilius videtur, potius fundum, qui dotalis est, distrahere, quod minus fructuosus sit, & alios hereditarios uberiore reditu retinere: maritus consentit, si nulla in ea re captio sit futura: Quæro, an (ea) pars dotis, quae in hoc fundo est, mulieri, manente matrimonio, recte solvatur? Respondit, si pretium 160 creditori solvatur, recte solutum.

(150. l. 9. §. 1. supr. de condit. caus. dat. (151. l. 46. in fin. supr. h. tit.

(152. Immo vide l. 6. infr. de collat. (153. l. 83. infr. h. tit. (154. l. 36.

l. 41. §. 3. l. 56. in pr. supr. eod. (155. l. 6. §. 1. supr. eod. (156. l. 17. infr. de

solut. (157. l. 80. supr. h. tit. (158. l. 22. in pr. infr. de re judicat. (159.

Immo vide l. 17. in pr. infr. solut. matrim. (160. l. 20. infr. d. t.

(143. Immo vide l. 69. §. 1. supr. h. tit. (144. v. l. 57. infr. solut. matrim. (145. d. l. 57. (146. v. l. 16. supr. de religiof. (147. l. 25. supr. quib. modis usufr. amitt. (148. l. 39. in fin. infr. de pennis. (149. l. 7. §. ult. sup. comm. divid. l. 13. §. 17. supr. de act. emt.

## TIT. IV.

## DE PACTIS I DOTALIBUS.

De pacto post nuptias. 1. De personis paciscentibus.

1. JAVOLENUS lib. 4. ex Cassio.

Pacisci 2 post nuptias, etiam si nihil ante convenerit, licet.  
 §. 1. Pacta, quæ de reddenda dote fiunt, inter 3 omnes fieri oportet, qui repetere dotem (possunt,) & a quibus repeti potest: ne ei, qui non interfuit, apud arbitrum cognoscentem pactum non profuit.

De dote apud virum mansura.

2. ULPIANUS lib. 19. ad Sabinum.

Si convenerit, ut quoquo modo dissolutum sit matrimonium, liberis intervenientibus, dos apud virum remaneret: Papinianus Juniano Pratori respondit, morte mariti 4 finito matrimonio, neque convenisse videri, dotem remanere: & si convenisset, non esse servandum pactum contra dotem, cum mariti mortalitas intervenit.

De divortio.

3. PAULUS lib. 3. ad Sabinum.

Pacta conventa, quæ in divortii tempus collata sunt, non facti divortio locum non habent.

De fructibus in dotem convertendis.

4. ULPIANUS lib. 31. ad Sabinum.

Si convenerit, ut fructus in dotem converterentur, an valeat conventio? Et Marcellus ait lib. VI II. Digestorum, conventionem non valere: prope enim indotatam mulierem hoc pacto fieri. Sed ita distinguit, (ut) si quidem fundum in dotem dederit mulier, ita ut maritus fructus redderet, non esse ratum pactum; idemque (esse), & si usumfructum in dotem hoc pacto dedit: quod si convenisset de fructibus reddendis, hoc est, ut in dote essent fructus, quosquos percepisset, & fundus, vel ususfructus in hoc traditus est, non ut fundus, vel fructus fieret dotalis, sed ut fructus perciperet dotis futuros, cogendum de dote actione fructus reddere. Erunt igitur in dote fructus, & fruatur iste usuris, quæ ex fructibus collectis, & in sortem redactis percipi possunt. Ego utrobique arbitror interesse, qua contemplatione dos sit data: ut si ob hoc ei majorem dotem mulier dedit, quia fructus volebat esse dotis, contento marito ea pecunia, quæ ex usuris reddituum colligitur, posse dici conventionem valere: nec enim videtur sterilis esse dos. Finge, quadragesima annua esse redditus apud eum, qui non acciperet in dotem, nisi hoc convenisset, plus trecentum: uti boni consuleret, tam uberem dotem consecutus? Et quid dicimus, si pactum tale intervenit, ut maritus fructus in dotem converteret, & mulier se, suosque aleret, tuereturve, & universa onera sua expediret? quare non dicas conventionem valere?

De moribus. 1. De rebus donatis, vel amotis.

2. De impensis in res dotales factis.

5. PAULUS lib. 7. ad Sabinum.

Illud convenire non potest, ne de 6 moribus agatur, vel plus, vel minus exigatur: ne publica coercitio privata pactione tollatur. §. 1. Ac ne illa quidem pacta servanda sunt, ne ob res donatas, vel amotas ageretur: quia altero pacto ad furandum mulieres invitantur; altero jus civile impugnatur. §. 2. Et si convenerit, ne ob impensas necessarias ageretur, pactum non est servandum: quia tales impensæ 7 dotem ipso jure minuunt.

De dolo, &amp; omni periculo.

6. ULPIANUS lib. 4. ad Edictum.

Pomponius ait, maritum non posse pacisci, ut dolum solummodo in dotem præstet: videlicet, propter utilitatem nubentium: Quamvis pacisci possit, ne sit periculo ejus nomen debitoris, qui ei dotem promisit. Nam & ut sit dos periculo mulieris, pacisci eum posse probat: & per contrarium, ut ea dos, quæ periculo mulieris est, sit periculo mariti.

De personis paciscentibus.

7. POMPONIUS lib. 15. ad Sabinum.

Cum dos filia nomine datur, optimum est, pactum conventum cum utroque generum 8 facere: quamquam initio dotis dandæ legem, quam velit, etiam citra 9 personam mulieris, is, qui

dat, dicere possit. † Si vero post datam pacisci velit, utriusque persona in paciscendo necessaria est: quoniam jam acquisita mulieri dos tum esset. Quo casu si solus pater pactus esset sine filia: sive solus agat, sive adjuncta filia persona: ei soli nocebit, & proderit pactum conventum: nec si sola filia agat, neque proderit, neque nocebit ei. † Si vero filia sola pacta fuerit, quo pacto melior conditio patris fiet, proderit & patri: quoniam per filiam patri acquiri potest, per patrem filia non potest. † Si vero sic pacta sit filia, ut noceat: ipsi quandoque filia agenti nocebit pactum: patri vero nullo modo nocebit: nisi adjuncta 10 quoque filia persona experiatur. Dicendum est, paciscendo filiam patris conditionem deteriore facere non posse eo casu, quo, mortua ea in matrimonio, dos ad patrem reversura est.

De liberis furiosi, vel capti ab hostibus:

8. PAULUS lib. 7. ad Sabinum.

Quoties patre furente, vel ab hostibus capto, filiusfamilias ducit uxorem, filiaque familias nubit: necessario etiam pactum cum ipsis 11 dumtaxat dotis nomine fieri potuit.

De dote reddenda socero, vel ejus filio, vel heredi.

9. POMPONIUS lib. 16. ad Sabinum.

Si ita conveniat, ut si vivo socero mortua sit filia, ipsi socero; si mortuo, filio 12 ejus, si filio quoque defuncto, totum suo heredi reddatur: benigna interpretatione potest defendi, utilem stipulationem esse.

Pactum avi, Ne a se, neve a filio dos petatur.

10. IDEM lib. 26. ad Sabinum.

Avus 13 pactus est, cum dotem pro nepote suscepisset, ne a se, neve (a) filio dos peteretur: ab alio vero, quam filio herede, ut dos peteretur: Exceptione conventionis filius tuendus erit: quippe heredi nostro cavere concessum est. Nec quicquam obstat, quominus certæ personæ, si heres erit sibi, caveri possit: quod non idem, & in ceteris heredibus cavetur. Et ita Celsus scribit.

Pactum patris, Ne se vivo, neve constante matrimonio petatur.

11. ULPIANUS lib. 34. ad Edictum.

Cum pater dotem pollicitus fuerit, & paciscatur, ne se vivo petatur, neve constante matrimonio (dos petatur:) ita pactum interpretandum Divus Severus constituit, quasi adjectum esset, se vivo. Hoc enim ita accipiendum (esse) contemplatione paternæ pietatis, & contrahentium voluntatis, ut posterior quoque pars conventionis ad vitam patris relata videatur: ne diversa sententia fructum dotis ab oneribus matrimonii separet: quodque indignissimum est, inducat, ut non habuisse dotem existimetur. Quo rescripto hoc effectum est, ut si quidem vivo 14 patre decesserit filia, aut sine culpa sua diverterit, omnimodo dos peti non possit: constante autem matrimonio, mortuo patre, peti possit.

De dote apud virum mansura. 1. De pactis utilibus, vel inutilibus.

2. De pacto, Ne petatur, &amp; stipulatione pœnali. 3. De fundo vendendo, &amp; pretio in dotem convertendo.

12. ULPIANUS lib. 35. ad Edictum.

Si pater dotem dederit, & pactus sit, ut mortua in matrimonio filia, dos apud virum remaneret: puto pactum servandum, etiam 15 si liberi non interveniant. §. 1. Ex pactis conventis, quæ ante nuptias, vel post 16 nuptias interponi solent, alia ad voluntatem pertinent; ut mulier dote promissa se alat 17, & donec nupta sit, dos ab ea non petatur, aut certam summam viro præstet, & ab eo alatur: & his similia: alia ad jus pertinent: veluti quando dos petatur: quemadmodum reddatur; in quibus non semper voluntas contrahentium servatur. Ceterum si convenerit, ne omnino dos petatur, indotata erit mulier. §. 2. Si mulier pacta sit, ne amplius, quam pars dimidia dotis, a se petatur, & pœnam stipulata sit: Mela ait, alterutro eam contentam esse oportere; vel exceptione pacti, (&) acceptam facere pœnæ obligationem; vel, si ex stipulatu agat, denegandam (ei) exceptionem. §. 3. Si fundo æstimato in dotem dato pacta sit mulier, ut 18 quanto pluris venierit, id in dote sit: Mela ait, id servandum: cum (&) ex contrario convenire possit, ut si 19 minoris venierit, ipsa debeat. §. 4. Si pacta sit mulier, ut sive pluris, sive minoris fundus æstimatus venierit, pretium, quanto res venierit, in dote sit: stari eo

TIT. IV. (1. Lib. 5. C. 14. (2. l. 12. §. 1. l. 29. in pr. infr. h. t. l. 2. §. 3. in fin. supr. de reb. cred. (3. l. 7. infr. h. t. (4. Fac. l. 1. §. 1. infr. de dote prælegat. (5. l. 12. §. 1. infr. h. t. ult. supr. de in rem vers. l. 21. in fin. infr. de donat. inter vir. & uxor. l. 2. C. de pact. convent. (6. Adde l. 23. §. 4. supr. de pact. (7. l. 15. inf. de impens. in res dotal. (8. l. 1. §. 1. sup. h. t. (9. l. 20. §. 1. infr. eod. l. 29. in fin. pr. infr. solus. matrim.

(10. Vide tamen l. 2. §. 1. infr. d. t. (11. Adde l. 73. in pr. supr. de jure dot. (12. l. 23. infr. h. t. (13. l. 33. supr. de pact. (14. l. 20. §. ult. infr. h. tit. (15. l. 2. supr. eod. (16. l. 1. in princ. supr. eod. (17. l. 4. in fin. supr. eod. (18. l. 13. §. 24. supra de ac. emt. (19. Facit l. 4. C. de dot. promiss.

pacto oportet: sed si culpa mariti minoris venierit, & id ipsum mulierem consequi.

13. JULIANUS lib. 17. Digestorum.

Item si non venierit, æstimatio præstari debet.

*De die dotis reddendæ.*

14. PAULUS lib. 35. ad Edictum.

De die reddendæ dotis hoc juris est, ut liceat pacisci, qua die reddatur: dum ne mulieris deterior conditio fiat:

15. GAJUS lib. 11. ad Edictum provinciale.

Id est, ut citiore die reddatur 20:

16. PAULUS lib. 35. ad Edictum.

Ut autem longiore 21 die solvatur dos, convenire non potest: non magis, quam ne omnino reddatur.

17. PROCULUS lib. 11. Epistolarum.

*Atilicinus Proculo suo salutem:* Cum inter virum, & uxorem pactum conventum ante nuptias factum sit, ut, quibus diebus dos data esset, iisdem, divortio facto, redderetur: post quinquennium, quam nuptiæ factæ sunt, uxor viro dotem dedit: divortio facto, quæro, utrum quinquennii die vir uxori dotem redderet, an statuto Legibus tempore? Proculus respondit: Quod ad diem reddendæ dotis attinet, pacto existimo meliorem conditionem mulieris fieri posse; deteriorem non posse: itaque si cautum est, ut propiore 22 (tempore,) quam Legibus constitutum est, reddatur, stari eo debere: si ut longiore 23, nec valere id pactum conventum. † Cujus sententiæ conveniens est dicere, si pacto convento cautum est, ut, quanto serius (quaque), & post nuptias data fuerit, tanto post divortium reddatur: si propiore, quam in reddenda dote constitutum est, data sit, valere pactum conventum: si longiore, non valere 24.

18. JULIANUS lib. 18. Digestorum.

Licet manente matrimonio non possit inter virum, & uxorem convenire, ut longiore (die) dos reddatur: post divortium tamen, si iusta causa conventionis fuerit, custodiri id pactum debet.

19. ALFENUS lib. 3. Digestorum a Paulo Epitomatorum.

Aliud est, si pater pro filia dotem promisit, ut annua, bima, trima, quadrima, quinto anno (dos) a se redderetur, & convenit, ut iisdem diebus dos, soluto matrimonio, redderetur: hoc enim pactum ita valet, si patri filia heres existisset, & interveniente ea pactum conventum fuerit.

*De rebus donatis, vel amotis. De impensis.* 1. De extraneo dotante. 2. Pactum, Ne a muliere, neve a patre petatur.

20. PAULUS lib. 35. ad Edictum.

Ob res quoque donatas, vel amotas, vel impensas factas, tunc facta pactio valebit, id est, post divortium. §. 1. Si extraneus de suo daturus sit dotem, quidquid vult, pacisci & ignorante 25 muliere, sicut & stipulari potest; legem enim suæ rei dicit: postquam vero dederit, pacisci consentiente muliere debet. §. 1. Si convenerit, ne a muliere, neve a patre dos petatur: heres non habet exceptionem. Sed si convenerit, ne manente matrimonio viro patre petatur, mortuo patre statim exigitur: & si non petierit maritus, tenebitur hujus culpæ nomine, si dos exigi potuerit: nisi forte ante diremptum sit matrimonium, quam facultatem petendi haberet.

21. JULIANUS lib. 17. Digestorum.

Si mulier dotis causa promiserit certam summam, & pro ea mancipia in dotem dederit ea conditione, ut periculo ejus essent, & si quid ex his natum esset, ad eam pertineat: stari pacto convento oportebit. Nam constat posse inter uxorem, & virum conveniri, ut dos, quæ in pecunia numerata esset 26, permutaretur, & transferatur in corpora, cum mulieri prodest.

*De annuo uxori promisso.*

22. IDEM lib. 2. ad Ursejum Ferocem.

Quidam fundum dotis causa ab uxore sua acceperat, interque eos convenerat, ut mercedes ejus fundi vir uxori, annui nomine, daret: deinde eum fundum vir matri mulieris certa pensione colendum locaverat: eaque, cum mercedes hujus fundi deberet, decesserat, & filiam suam solam heredem relinquerat, & divortium factum erat: vir deinde petebat a muliere mercedes, quas mater debuerat. Placuit exceptionem mulieri dari non debere: ac si in-

ter se, & virum non convenisset, ut hæc mercedes sibi alimentorum nomine darentur: cum futurum sit, ut quodammodo donationes inter virum, & uxorem confirmantur: nam quod annui nomine datur, species est donationis.

*Si conditio post mortem stipulatoris exstiterit.*

23. AFRICANUS lib. 7. Quæstionum.

Pater, cum filia suæ nomine dotem daret, pactus est, ut mortua 27 filia, uno, pluribusve liberis superstilibus, deducta parte tertia, reliqua dos sibi, aut post mortem suam illi, aut illi filiis, quos in potestate habebat, reddatur: deinde hæc ita fieri stipulatus est: post mortem ejus mulier in matrimonio decesserat relictis filiis. Quæsitum est, an ex stipulatione duas partes illi petere possint? Respondi, posse: etenim vim ejus stipulationis hanc esse, ut, si in matrimonio mortua esset, dos patri redderetur: & perinde habendum, ac si talis stipulatio interposita fuisset, si navis ex Asia venerit, mihi, aut post mortem meam Lucio Titio dari spondes? nam & si post mortem stipulatoris navis venisset, heredi deberi.

*De dote a marito liberorum nomine retinenda.*

24. FLORENTINUS lib. 3. Institutionum.

Si inter virum, & uxorem pactum est, ut certa pars dotis, vel tota ob unum, vel plures liberos intervenientes retineatur: etiam eorum liberorum nomine, qui ante nati sunt, quam dos daretur aut ampliatur, conventio rata est; nam sufficit, eos ex matrimonio nasci, in quo dos data est.

*De dote reddenda, vel non petenda.*

25. ULPIANUS lib. 1. Responsoforum.

Quod de reddenda dote, si data fuisset, mortua in matrimonio filia, convenit, idem de non petenda quoque videri convenisse: ac patrem nati conventi exceptionem (nactum) ad heredem suum transmisisse.

*De muliere, quæ naufragio periit una cum filio.* 1. Si vir per errorem dotem non retinuit. 2. De pacto, ut muliere sine liberis defuncta dos restituatur. 3. De sumtibus itineris. 4. An pactum filia profici matri. 5. Si pater, qui stipulatus est, filia in matrimonio defuncta, sibi dotem reddi, capitali crimine damnetur.

26. PAPIANUS lib. 4. Responsoforum.

Inter focerum, & generum convenit, ut, si filia, (mortua) superstitem anniculum filium habuisset, dos ad virum periret: quod si vivente matre filius obiisset, vir dotis portionem, uxore in matrimonio defuncta retineret: mulier naufragio cum anniculo filio periit: quia verisimile videbatur 28, ante matrem infantem periisse, virum partem dotis retinere, placuit. §. 1. Vir dotem, quam ex pacto filia nomine retinere potuit, si lapsus errore non retinuit: filiam, quæ patris sola, matri pro parte heres exstiterit apud arbitrum divisionis non improbe dotis perperam a patre soluta præceptionem desiderare constitit. §. 2. Cum inter patrem, & generum convenit, ut, in matrimonio sine liberis defuncta filia, dos patri restituatur, id actum inter contrahentes intelligi debet, ut, liberis superstilibus filia defuncta, dos retineatur 29: nec separabitur portio dotis additamenti causa data, si postea nihil aliud conveniat. §. 3. Convenit, ut mulier viri sumtibus quoque iret, veheretur: atque ideo mulier pactum ad literas viri secuta, provinciam, in qua Centurio merebat, petit: non servata fide conventionis, licet directa actio nulla competit, utilis tamen in factum danda est. §. 4. Filia cum pro se dotem promitteret, pepigit, ut, si in matrimonio sine liberis decessisset, matri suæ dos solvatur. Pacto filia, nulla 30 matri quæritur actio: si tamen heres puellæ matri pecuniam dotis solverit, viro contra placita petenti dotem obtinere exceptio. §. 5. Pater si filia nupta mortem obiisset, dotem dari stipulatus est: constante matrimonio capitali crimine damnatus est: divortio secuto, vel morte viri soluto matrimonio, stipulationis conditio deficit. Quod si mulier in matrimonio decesserit, ex stipulatu fisco dotis actio quæreretur: post verum autem divortium renovatis 31 nuptiis, non committitur fisco stipulatio, licet defuncta sit in matrimonio filia: quoniam ad primas nuptias pertinet.

*De jurgio fito, & remissione dotis.*

27. IDEM lib. 1. Definitionum.

Si liberis sublatis, reversa post jurgium per dissimulationem mulier, veluti venali concordia, ne dotata sit conveniat, conventio, secundum ordinem rei gestæ, moribus improbanda est.

(20. l. 17. infr. h. t. (21. d. l. 17. (22. l. 15. supr. eod. (23. l. 16. supr. eod. (24. excip. l. 18. l. 16. supr. infr. eod. (25. l. 7. in pr. supr. eod. (26. l. 26. supr. de jure dot.

(27. v. l. 45. §. 2. infr. de verb. obligat. (28. l. 23. infr. de reb. dub. (29. l. 30. infr. h. t. (30. l. 59. in fin. infr. ad SC. Trebell. (31. Fac. l. 77. §. 9. infr. de legat. 2.



*De creditore dimittendo ex fructibus dotis.*

28. PAULUS lib. 5. Quæstionum.

Quæris, si pacta sit mulier, vel ante nuptias, vel post nuptias, ut ex fundi fructibus, quem dedit in dotem, creditor mulieris dimittatur; an valeat pactum? Dico, si ante 32 nuptias id convenit, valere pactum, eoque modo minorem dotem constitutam: post nuptias vero, cum onera matrimonii fructus relevaturi sunt, jam de suo maritus paciscitur, ut dimittat creditorem, & erit mera donatio.

*De æstimatione, & periculo rei dotalis. 1. De dote a stipulatore non repetita, & matrimonio voluntate heredis stipulatoris redintegrato. 2. De dote restituenda, & de his, quæ mulier legavit.*

29. SCÆVOLA lib. 2. Responsorum.

Cum maritus, qui æstimata prædia in dotem acceperat, manente matrimonio pactus est circumscribendæ mulieris gratia, ut prædia inæstimata essent, ut sine periculo suo ea deteriora faceret: quæsitum est, an secundum priores dotales tabulas prædia æstimata remanerent, & periculum eorum ad maritum pertineret? Respondi, non idcirco (id) pactum, de quo quæreretur, impediri, quod 33 in matrimonio factum esset, si deteriore loco dos non esset: nihilominus, eo pacto admissio, si deteriora prædia faceret, eo etiam nomine dotis eum actione teneri. §. 1. Titius mulieris nomine dotem dedit, & stipulatus est in casum mortis, & divortii, divortio secuto, non repetita dote, Titius decessit: mulier, ex voluntate heredis ejus, redintegravit matrimonium: quæsitum est, an ex stipulatu dotem petere possit? Respondi, heredem Titii, si consensisset 34, ut ea quantitas, quam ex stipulatu consequi poterat, dotis reconciliato matrimonio fieret, posse pacti exceptione summoveri. §. 2. Mulier de dote, quam dedit, pacta est, ut si in matrimonio decessisset, fratri ejus redderetur; isque in eum casum stipulatus est: mulier decedens quasdam res dotales marito legavit, & alii; quosdam ex servis dotalibus manumisit: Quæsitum est, an maritus earum (rerum) nomine, quas legavit mulier, & servorum, quos manumisit, fratri teneatur? Respondi, nihil proponi, cur non teneretur; cum etiam heredes defunctæ tam legariis, quam libertatibus obnoxii sint.

*Si convenerit, ne dos constante matrimonio petatur, & ut filia post mortem patris in matrimonio sine liberis defuncta, pars dotis apud maritum maneat, pars fratri mulieris restituatur.*

30. TRYPHONINUS lib. 10. Disputationum.

Bæbius Marcellus Bæbio Maryllo, dotis filia suæ nomine, centena promiserat: & convenerat inter eos, ne ea dos constante matrimonio peteretur: vel, si post mortem patris in matrimonio sine liberis filia decessisset, ut dimidia dos apud Maryllum remaneret, dimidia fratri mulieris restitueretur; eaque etiam in stipulationem deducta erant: mortuo Marcello, filio, & filia superstitibus, dote universa filia prælegata, Maryllus, nata filia, diverterat, & mulier decesserat, fratre suo, & filia ex partibus æquis, heredibus relicta. Apud Petronium Magnum Prætorem Maryllus ab herede filio Marcelli ex dotis promissione universam dotem petebat, illa conjectura, qua, si inter duos placuisset, nullo filiorum extante, mortua muliere, partem dotis remanere apud maritum: magis convenisset utique, totam ejus esse dotem, si filium filiamque habuisset. Ex diverso respondebatur, pacti quidem vulgaris exceptionem (etiam) heredi proficere: sed in specie, quæ proponitur, non quasi heres mulieris ex persona defunctæ, se exceptione pacti tuebitur; sed ipse (erat) ille, qui etiam viva muliere, si ab eo dos peteretur, potuisset (ea) exceptione Maryllum, quia divortium factum erat, summoovere, eandemque defensionem etiam post mortem sororis suæ retinebat. Itaque placuit, eum ab ea petitione absolvi, nulla ex hac sententiâ facta derogatione fideicommissi petitioni, quam jure hereditario per filiam heres uxoris Maryllus in parte dimidia habebat.

*De fructibus extremi anni matrimonii.*

31. SCÆVOLA lib. 3. Quæstionum.

Si inter virum, & uxorem convenit, ut extremi anni matrimonii fructus nondum percepti mulieris lucro fiant, hujusmodi pactum valet.

Si fundus æstimatus centum, atque eodem pretio restituendus, volente muliere pluri venierit. 1. De dote ab invito non exigenda.

32. JAVOLENUS lib. 6. ex Posterioribus Labeonis.

Uxor viro fundum æstimatum centum in dotem dederat: deinde cum viro pactum conventum fecerat, ut divortio facto eodem

(32. l. 7. §. 1. supr. de jure dot. (33. l. 1. in pr. supr. h. t. (34. l. 63. supra de jure dot.

pretio uxori vir fundum restituere: postea volente 35 uxore, vir eum fundum ducentorum vendiderat: & divortium erat factum. Labeo putat, viro potestatem fieri debere; utrum velit ducenta, vel fundum reddere: neque ei pactum conventum remitti oportere. idcirco puto hoc Labeonem respondisse, quoniam voluntate mulieris fundus venit: alioquin omnimodo fundus erat restituendus. §. 1. Si pater filia nomine certam pecuniam in dotem promiserat, & pactus est, ne invitum eam solveret: nihil ab eo exigendum puto; quia id, quod pacto convento, ne invitum exigeretur, convenerit, in dotis causam esse non videretur.

TIT. V.

DE I FUNDO DOTALI.

*Damni infecti. 1. De transmissione ad heredem.*

1. PAULUS lib. 36. ad Edictum.

Interdum Lex Julia 2 de fundo dotali cessat, si ob id, quod maritus damni infecti non cavebat, missus sit vicinus in possessionem dotalis prædii, deinde jussus sit possidere: hic enim dominus vicinus sit: quia hæc alienatio non est voluntaria. §. 1. Sed & per universitatem 3 transit prædium, secundum quod impossibile est, ad alterum, veluti ad heredem mariti: cum suo tamen jure, ut alienari non possit.

*De domino mariti. 1. De fisco.*

2. ULPIANUS lib. 5. De adulteriis.

Si maritus fuerit in servitutem redactus, an dominus alienare hunc fundum non possit? Quod puto esse verius 4. §. 1. Quare, & si ad fiscum pervenerit, nihilominus venditio fundi impeditur: quamvis fiscus 5 semper idoneus successor sit, & solvendo.

*Si fundus dotali servo legetur. 1. Quibus casibus fundus dotalis alienari nequit.*

3. PAULUS lib. 36. ad Edictum.

Fundus dotali servo legatus, ad Legem Juliam pertinet, quasi dotalis. §. 1. Toties autem non potest alienari fundus, quoties mulieri actio de dote competit, aut omnimodo competitura est.

*De sponso.*

4. GAJUS lib. 11. ad Edictum provinciale.

Lex Julia, quæ dotali prædio prospexit, ne id marito liceat obligare 6, aut alienare 7, plenius interpretanda est; ut etiam de sponso 8 idem juris sit, quod de marito.

*De servitutibus.*

5. ULPIANUS lib. 2. de omnibus Tribunalibus.

Julianus lib. XVI. Digestorum scripsit, neque servitutes 9 fundo debitas posse maritum amittere, neque ei alias imponere:

6. IDEM lib. 5. de adulteriis.

Sed nec libertas servitutis urbano prædio dotali debitæ competit: ne per hoc deterior conditio prædii fiat.

7. JULIANUS lib. 16. Digestorum.

Si maritus fundum Titii servientem dotali prædio adquisierit, servitus confunditur. (Sed si eandem Titio reddiderit sine restoratione servitutis, hoc marito imputabitur,) & hoc casu maritus litis æstimationem præstabit: quod si maritus solvendo non erit, utiles actiones adversus Titium mulieri ad restaurandam servitutem dantur. §. 1. (Sed) cum uxor fundum, cui prædia viri servitutem debebant, in dotem dat, fundus ad maritum pervenit, amissa servitute; & ideo non potest videri per maritum jus fundi deterius factum. Quid ergo (est?) Officio de dote judicantis continebitur, ut redintegrata servitute jubeat fundum mulieri, vel heredi ejus reddi.

*De oliveto succiso.*

8. ALFENUS lib. 3. Digestorum a Paulo epitomatorum.

Vir in fundo dotali, uxoris rogatu, olivetum succiderat; hoc (ut) novellum reponeret: postea vir mortuus erat, & uxori dotem relegaverat, ligna, quæ ex oliveto excisa 10 essent, oportere mulieri reddi, respondit.

(35. l. 50. infr. solut. matrim.

(TIT. V. (1. Lib. 5. C. 23. (2. v. l. 3. l. 4. l. 16. infr. h. t. pr. Instit. quibus alien. licet, vel non. l. un. §. pen. C. de rei ux. act. (3. l. 62. inf. de acquir. rer. domin. (4. arg. l. 12. in pr. infr. h. t. (5. l. 1. §. 18. infr. ut legator. (6. l. un. §. pen. C. de rei ux. act. (7. v. l. 1. C. h. t. (8. l. 5. in fin. C. de bonis, quæ liber. (9. l. 6. & 7. inf. h. t. l. 3. §. 5. inf. de reb. eor. qui sub. tutel. (10. Adde l. 7. §. 23. infr. solut. matrim.

*Si maritus, quod debet, in dotem acceperit.*

9. AFRICANUS lib. 8. Quæstionum.

**S**i marito debitori fundi, id, quod debet, doti mulier promiserit, dotalem fundum effici. §. 1. Quod si ei promittat, qui fundum, aut decem debuit, in arbitrio esse mariti 11, quod in dote sit. §. 2. Quod si Stichum, aut fundum debuit maritus, & quod debet, doti ei promissum sit: Stichum mortuo, fundum in dotem esse. §. 3. His consequens esse (ait,) ut si Cornelianum, aut Sempronianum fundum debenti, id, quod debet, doti promissum sit, utrum eorum dotalem esse malit: (hunc dotis esse,) plane utrum velit alienaturum; alterum alienari non posse: si tamen alienum rursus redimat, adhuc in ejus potestate est, an eum, quem retinisset, alienari velit.

10. PAULUS lib. 5. Quæstionum.

**E**rit ergo potestas Legis ambulatoria: quia dotalis fuit obligatio. Numquid ergo, (etiam) illo nondum redempto, alterum quoque alienare possit, quia potest alterum redimere? an hoc non debet recipi, ut nullus in dote sit? Certe ex post facto videbitur recte alienatus, illo postea redempto.

*De fundo æstimato dato, ut electio sit mulieris.*

11. AFRICANUS lib. 8. Quæstionum.

**Q**uod si fundus in dotem æstimatus datus sit, ut electio 12 esset mulieris, negavit alienari fundum posse. Quod si arbitrio mariti sit, contra esse.

*De matrimonio soluto. 1. De voluntate soceri.*

12. PAPIANUS lib. 1. de adulteriis.

**E**tiam (si) diremto 13 matrimonio dotale prædium esse intelligitur. §. 1. Soceri voluntas in distrahendo dotali prædio nulla est.

**D**e prædio rustico, vel urbano. 1. De fundo, vel loco. 2. Dotale prædium quomodo accipitur. 3. De herede mulieris.

4. Si ab uxore herede fundus legetur.

13. ULPIANUS lib. 5. de adulteriis.

**D**otale prædium accipere debemus, tam urbanum 14, quam rusticum: ad omne enim ædificium Lex Julia pertinebit. §. 1. Prædii appellatione etiam pars continetur. Proinde siue totum prædium in dotem sit datum, siue pars 15 prædii alienari non poterit: Et hoc jure utimur. §. 2. Dotale prædium sic accipimus, cum dominium marito quæsitum est: ut tunc demum alienatio prohibeatur. §. 3. Heredi quoque mulieris idem auxilium præstabitur 16, quod mulieri præstatur. §. 4. Si, uxore herede instituta, fundus dotalis fuerit legatus, si quidem deductis legatis, mulier quantitatem dotis in hereditatem habitura est, valet legatum: si minus, an non valeat quæritur? Scævola, & si non totus, sed (vel) aliqua pars ex eo vindicari possit, si modo aliqua pars ad dotem supplendam desit, id dumtaxat ex eo remanere apud mulierem ait, quod quantitati dotis deest.

*De fundo, qui marito volente traditus est extraneo. 1. De fundo mulieris nomine in dotem dato. 2. Si fundus alienus marito, a quo debetur, in dotem detur. 3. Si dotis causa legatum, vel hereditas repudietur, vel omittatur.*

14. PAULUS lib. 3. de adulteriis.

**S**i nuptura Titio, voluntate ejus fundum dotis nomine Mævio tradit, dos ejus conditionis erit, cujus esset, si ipsi Titio fundum

(11. Immo vide l. 46. §. 1. supr. de jure dot. (12. l. 1. C. h. t. (13. l. 2. in pr. supr. eod. (14. v. l. 198. infr. de verb. sign. (15. l. 15. §. 1. supr. qui satisfacere cogantur. (16. Immo v. l. un. C. de privileg. dot.

tradidisset. §. 1. Si mulieris nomine quis fundum in dotem dederit, dotalis fundus erit: propter uxorem enim videtur is fundus ad maritum pervenisse. §. 2. Si fundum alienum mulieri dedit maritus, eumque mulier ei dotis nomine promiserit, in pendenti erit; & tunc fiet dotalis 17, cum ad eum pervenerit. §. 3. Si fundum legatum sibi dotis causa mulier repudiaverit, vel etiam substituto viro omiserit hereditatem 18, vel legatum, erit fundus dotalis.

*De literis mariti, quibus dotis non fore prædium declaravit.*

15. PAPIANUS lib. 3. Responsorum.

**D**otale prædium, cujus vir possessionem retinuit, post literas ad uxorem emissas, quibus dotis non fore prædium declaravit, in matrimonio defuncta muliere, virum retinere placuit: quia mulier actionem ex pacto non habuit.

*De longi temporis possessione.*

16. TRYPHONINUS lib. 11. Disputationum:

**S**i fundum, quem Titius possidebat bona fide, (&) longi temporis possessione poterat sibi quærere, mulier ut suum marito dedit in dotem, eumque petere neglexerit vir, cum id facere posset: rem periculi sui fecit; nam licet Lex Julia, quæ vetat fundum dotalem alienari, pertineat etiam ad hujusmodi acquisitionem; non tamen interpellet eam possessionem, quæ per longum tempus sit, si, antequam constitueretur dotalis fundus, jam cœperat. Plane, si paucissimi 19 dies ad perficiendam longi temporis possessionem superfuerunt, nihil erit, quod imputabitur marito.

*De dote apud virum mansura.*

17. MARCIANUS lib. 7. Digestorum.

**F**undum dotalem maritus vendidit, & tradidit: si in matrimonio mulier decesserit, & dos lucro mariti cessit, fundus emtori avelli non potest.

*De lapidicinis. 1. De fructibus a viro perceptis, cum mulier moram faceret, quo minus æstimationem partis fundi solveret, & fundum reciperet.*

18. JAVOLENUS lib. 6. ex Posterioribus Labeonis.

**V**ir in fundo dotali lapidicinas 20 marmoreas aperuerat: divortio facto quæritur, marmor, quod cæsum, neque exportatum esset, cujus esset; & impensam in lapidicinas factam mulier, an vir præstare deberet? Labeo marmor viri esse ait: Ceterum, viro negat quidquam præstandum esse a muliere: quia nec necessaria ea impensa esset, & fundus deterior esset factus. Ego non tantum necessarias, sed etiam utiles 21 impensas præstandas a muliere existimo: nec puto fundum deteriores esse, si tales sunt lapidicinae, in quibus lapis crescere possit. §. 1. Si per mulierem mora fieret, quo minus æstimationem partis fundi viro solveret, & fundum reciperet, cum hoc pactum erat: fructus interim perceptos ad virum pertinere, ait Labeo: Puto potius pro portione fructus virum habiturum, reliquos mulieri restitutum. Quo jure utimur.

(17. l. 13. §. 2. supr. h. t. (18. v. l. 5. §. 5. vers. sed & si legat. supr. de jur. dot. (19. Adde l. 30. §. 1. infr. de usurp. & usucap. (20. l. 7. §. 3. infr. soluto matrim. (21. v. l. 7. in fin. infr. de impens. in res dot. factis.

## LIBER VICESIMUS QUARTUS.

TIT. I.

DE DONATIONIBUS INTER VIRUM, ET UXOREM.

*Origo, & ratio prohibita donationis.*

1. ULPIANUS lib. 32. ad Sabinum.

**M**oribus apud nos receptum est, ne inter virum, & uxorem donationes valerent. Hoc autem receptum est, ne mutuato amore invicem spoliarentur, 2 donationibus non temperantes, sed profusa erga se facilitate.

2. PAULUS lib. 7. ad Sabinum.

**N**ec esset eis studium liberos potius educandi. † Sextus Cæcilius, & illam causam adjiciebat: quia sæpe futurum esset, ut discuterentur matrimonia, si non donaret is, qui posset; atque ea ratione eventurum, ut venalicia essent matrimonia.

1. Si matrimonium non valet. 2. De his, qui sunt in potestate soceri. 3. De servis. 4. De filio communi, vel mariti. 5. De eo, qui est in potestate soceri. 6. De viro, & socero, & his, qui sunt in eorum potestate, an eos habent in potestate. 7. De socru, & nuru. 8. De servo, in quo nudam proprietatem habet maritus. De eo, quæ bona fide servit marito. 9. Per quos donari non potest. 10. Quatenus donatio non valet. 11. De nummis uxori datis. 12. Si debitor marito solverit uxori. 13. Si marito donaturus dederit uxori.

3. ULPIANUS lib. 32. ad Sabinum.

**H**æc ratio ex Oratione Imperatoris nostri Antonini (Augusti) electa est: nam ita ait: majores nostri inter virum, & uxorem donationes prohibuerunt, amorem honestum solis animis æstimantes, famæ etiam conjunctorum consulentes, ne concordia pretio conciliari videretur: neve melior in paupertatem incideret, deterior ditior fieret.

§. 1. Videamus, inter quos sint prohibita donationes. Et qui-

dem

TIT. I. (1. Lib. 5. C. 16. (2. l. 1. §. 7. infr. h. t. Nov. 74. c. 4. in fin. pr.

**Donatio**, si matrimonium moribus, legibusque (nostris) constat, donatio non valebit. Sed si aliquod impedimentum interveniat, ne sit omnino matrimonium, donatio valebit. Ergo si Senatoris filia libertino contra Senatufconsultum; nupserit, vel provincialis mulier ei, qui ibi meret, contra mandata; valebit donatio: quia nuptiæ non sunt: sed fas non est, eas donationes ratas esse, ne melior sit conditio eorum, qui deliquerunt. Divus tamen Severus in liberta Pontii Paulini Senatoris contra statuit; quia non erat affectione uxoris habita, sed magis concubinæ. §. 2. Qui in ejusdem potestate sunt, prohibentur sibi donare: utputa frater & mariti, qui est in foceri potestate. §. 3. Verbum potestatis non solum ad liberos trahimus, verum etiam ad servos: nam magis est, ut nî quoque, qui aliquo jure subjecti sunt marito, donare non possint. §. 4. Secundum hæc, si mater filio, qui in patris potestate esset, donet, nullius momenti erit donatio; quia patri quaritur: Sed si in castra cuncti filio dedit, videtur valere; quia filio quaritur, & est castrensis peculii. † Quare & si filius, vel privignus, vel quivis alius potestati mariti subjectus, de castrensi suo peculio donavit, non est irrita donatio. §. 5. Prohibetur igitur (&) uxori, & nurui donare etiam is, qui est in foceri potestate: si modo maritus sit in patris potestate. §. 6. Ab uxoris, nurufve parte prohibitum est donari viro, vel genero. † Sed & his, qui sunt in eorum potestate, si fuerit donatum, vel in quorum sunt potestate, non valebit donatio: si modo vir, & focer in ejusdem sunt potestate, vel vir in foceri; ceterum si in alia familia est maritus, neque focero, neque ei, qui est in ejus potestate, neque ei, in cujus est, donatione interdictum est. §. 7. Socrui a nuru 8, vel contra, donari non est prohibitum; quia hic jus potestatis non vertitur. §. 8. Si servus meus, cujus usufructus alienus est, donet uxori meæ ex peculio, quod ad me pertinebat; vel homo liber bona fide mihi serviens: an valeat donatio, quaritur? Et in libera quidem persona utcumque admitti potest donatio: ceteræ enim personæ alienationem peculii, ut donent, non habent. §. 9. Non tantum autem per se maritus, & uxor, ceteræque personæ dare non possunt. §. 10. Sciendum autem est, ita interdictam inter virum, & uxorem donationem, ut ipso jure nihil valeat, quod actum est. † Proinde si corpus sit, quod donatur, nec traditio quicquam valet. † Et si stipulanti 10 promissum sit, vel accepto latum, nihil valet\*: ipso enim jure quæ inter virum, & uxorem donationis causa gerantur, nullius momenti sunt.

§. 11. Si quis igitur nummos uxori 11 dederit, non fieri ejus apparet: quia nihil corporis ejus fieri palam est. §. 12. Sed si debitorem suum ei 12 solvere jusserit, hic quaritur, an nummi fiant ejus, debitorque liberetur? Et Celsus lib. xv. Digestorum scribit, videndum esse, ne dici possit, & debitorem liberatum, & nummos factos mariti, non uxoris. Nam (&) si donatio jure civili non impediretur, eum rei gestæ ordinem futurum, ut pecunia ad te a debitore tuo, deinde a te ad mulierem perveniret: nam celeritate conjungendarum inter se actionum, unam actionem occultari; ceterum debitorem creditori dare, creditorem uxori: nec novum, aut mirum esse, quod per alium accipias, te accipere. Nam & si is, qui creditoris tui se procuratorem esse simulaverit 13, a debitore tuo, jubente te, pecuniam acceperit, & furti actionem te habere constat, & ipsam pecuniam tuam esse. §. 13. Huic sententiæ consequens est, quod Julianus libro septimodecimo Digestorum scripsit: si donaturum mihi, jussero uxori meæ dare: 14 ait enim Julianus, nullius 15 esse momenti: perinde enim habendum, atque si ego accepta, (&) rem meam factam, uxori meæ dedissem. Quæ sententia vera est:

4. JULIANUS lib. 17. Digestorum.

**Idemque** est, & si mortis causa traditurum mihi, jusserim uxori tradere: nec referre, convaluerit donator, an mortuus sit; neque existimandum est, si dixerimus valere donationem, non fieri me pauperiorem: quia si convaluerit donator, conditione tenebor; si mortuus fuerit, rem, quam habiturus eram in bonis meis, desinam propter donationem habere.

**Si sponsus sponsæ donaturus tradiderit Titio, & is dederit sponsæ post nuptias.** 1. De muliere correa, & de acceptilatione. 2. De viro, & uxore, & his, qui ad eos pertinent, & extraneis personis. 3. Si debitor viri uxori, 4. Aut uxor viri creditori promiserit. 5. De venditione minoris facta. 6. De eo, qui non est usus servitute. 7. De exceptione, & sententia. 8. De sepultura. 12. De re Deo offerenda, vel consecranda, de opere publico faciendo. 13. De repudiatione hereditatis, 14. Vel legati. 15. De restitutione fideicommissi. 16. Si donans non deminuat, aut accipiens non fiat locupletior. 17. Si mulier pecuniam a marito acceptam pro alio erogaverit. 18. Quatenus revocatur, & quibus actionibus, quod donatum est.

5. ULPIANUS lib. 32. ad Sabinum.

**Si sponsus sponsæ donaturus, tradiderit Titio, ut is sponsæ daret:** deinde Titius tradiderit post nuptias secutas: si quidem eum interposuerit maritus, donationem non valere, quæ post contractas nuptias perficiatur: si vero mulier eum interposuerit, iamdudum perfectam donationem: hoc est, ante nuptias; atque ideo, quamvis contractis nuptiis Titius tradiderit, donationem valere. §. 1. Si maritus duos reos habeat, Titium, & mulierem, & mulieri accepto tulerit donationis causa, neuter liberatur: quia acceptilatio non valet. Et hæc Julianus lib. xvii. Digestorum scribit. Plane si (mihi) proponas, Titio accepto latum: ipse quidem liberabitur; mulier vero manebit obligata. §. 2. Generaliter tenendum est, quod inter ipsos, aut qui 17 ad eos pertinent, aut per interpositas personas, donationis causa, agatur, non valere: quod si aliarum extrinsecus rerum, personarumve causa commixta sit: si separari non potest, nec donationem impediri: si separari possit, cetera valere; id, quod donatum sit, non valere. §. 3. Si 18 debitor viri pecuniam, jussu mariti, uxori promiserit, nihil agitur. §. 4. Si uxor viri creditori, donationis causa, promiserit & fidejussorem dederit, neque virum liberari, neque mulierem obligari, vel fidejussorem ejus, Julianus ait: perindeque haberi, ac si nihil promississet. §. 5. Circa venditionem 19 quoque, Julianus (quidem) minoris 20 factam venditionem, nullius esse momenti ait. Neratius autem (cujus opinionem Pomponius non improbat) venditionem, donationis 21 causa, inter virum, & uxorem factam, nullius esse momenti: si modo, cum animum maritus vendendi non haberet, idcirco venditionem commentus sit, ut donaret: enim vero, si, cum animum vendendi haberet, ex pretio ei remisit: venditionem quidem valere; remissionem (autem) hactenus non valere, quatenus facta est locupletior. Itaque si res quindecim, venit quinque, nunc autem sit decem, quinque tantum præstanda sunt: quia in hoc locupletior videtur facta. §. 6. Si, donationis causa, vir, vel uxor servitute non utatur, puto amitti servitutem: verum post divortium condici posse. §. 7. Si uxor, vel maritus exceptione quadam, donationis causa, summoxyerit voluerit, facta a iudice absolute valebit quidem sententia: sed condicetur 22 ei, cui donatum est. §. 8. Concessa donatio est sepulturæ causa: nam sepulturæ causa locum marito ab uxore, vel contra, posse donari constat: & si quidem intulerit, faciet locum religiosum. Hoc autem ex eo venit, quod definitur solet, eam 23 demum donationem impediri solere, quæ & donantem pauperiorem, & accipientem facit locupletiozem: porro hic non videtur fieri locupletior in ea re, quam religioni dicavit. Nec movit quemquam, quod emeret, nisi a marito accepisset: nam, etsi pauperior ea fieret, nisi maritus dedisset, non tamen idcirco fit 24 locupletior, quod non expendit. §. 9. Hæc res & illud suadet, si uxor maritus sepulturæ causa donaverit, ita 25 demum locum fieri intelligi mulieris, cum corpus humatur: ceterum, antequam fiet religiosus, donantis manet: proinde si distraxerit mulier, manet locus donatoris. §. 10. Secundum hoc, si uxori suæ monumentum purum 26 maritus magni pretii donaverit, valebit donatio: sic tamen, ut, cum sit religiosus, valeat. §. 11. Sed etsi ipsa fuerit illo illata, licet morte ejus finitum est matrimonium, favorabiliter tamen dicitur locum religiosum fieri. §. 12. Proinde & si maritus ad oblationem Dei uxori donavit, vel locum, in quo opus publicum, quod promiserat facere, vel (ut) ad eam publicam dedicaret: fiet locus sacer. Sed & si quid ei det, ut (donum) Deo detur, vel consecretur: dubium non est, quin debeat

1. Abrog. Nov. 78. c. 3. (4. v. l. 33. supr. de ritu nupt. (5. l. 63. supr. de leg. 1. (6. §. 5. infr. h. l. (7. l. 215. infr. de verb. sign. (8. l. 33. C. h. t. l. 12. C. de donat. ante nupt. (9. arg. leg. 31. in pr. infr. de acquir. rer. domin. (10. l. 23. infr. h. t. (11. Adde l. 14. supr. ad exhib. (12. l. 26. in pr. infr. h. t. (13. Adde l. 52. §. 11. infr. de furt. (14. l. 4. §. 6. infr. h. t. (15. Immo vide l. 31. §. 7. infr. eod.

(16. Immo v. l. 29. in fin. infr. de liberat. legat. (17. l. 3. §. 6. supr. h. t. (18. l. 38. §. 1. infr. de solution. (19. Adde l. 52. in pr. infr. h. t. (20. Immo vide l. 31. §. 3. in fin. infr. eod. (21. l. 7. §. 6. infr. eod. l. 38. in fin. supr. de contrah. emt. (22. Immo vide l. 29. §. 5. supr. mandati. (23. l. 25. infr. h. t. (24. Immo vide l. 47. in fin. infr. de solution. (25. l. 2. §. 5. supr. de religiof. (26. l. 6. in fin. supr. h. t.

valere. Quare, & si oleum pro ea in æde sacra posuerit, valet donatio. §. 13. Si maritus heres institutus repudiet hereditatem donationis causa, Julianus scripsit lib. xvii. Digestorum, donationem valere: neque enim pauperior fit, qui non acquirit: sed qui de patrimonio suo deposuit. Repudiatio autem mariti mulieri prodest, si vel substituta sit mulier, vel etiam ab intestato heres futura.

§. 14. Simili modo & si legatum repudiet, placet nobis, valere donationem, si mulier substituta sit in legato, vel etiam si proponas eam heredem institutam. §. 15. Si quis rogatus sit, *præcepta certa quantitate, uxori suæ hereditatem restituere*, & is sine deductione restituerit: Celsus lib. x. Digestorum scripsit, magis pleniore 27 officio fidei præstandæ functum maritum, quam donasset, videri. Et rectam rationem huic sententiæ Celsus adiecit, quod plerique magis fidem 28 exsolvent in hunc casum, quam donant: nec de suo putant proficisci, quod de alieno plenius restituunt, voluntatem defuncti secuti; nec immerito sæpe credimus aliquid defunctum voluisse, & tamen non rogasse. Quæ sententia habet rationem magis in eo, qui non erat, deducta quarta, rogatus restituere, & tamen integram fidem præstitit, omisso Senatusconsulti commodo: hic enim vere fidem exsolvit, voluntatem testatoris obsecutus. Hoc ita, si non per errorem calculi fecit. Ceterum indebiti fideicommissi esse repetitionem, nulla dubitatio est. §. 16. Cum igitur nihil de bonis erogatur, recte dicitur valere donationem. Ubicumque 29 igitur non deminuit de facultatibus suis, qui donavit, (valet:) vel etiam si deminuat, locupletior tamen non fit, qui accepit, donatio valet. §. 17. Marcellus lib. vii. Digestorum quærit, si mulier acceptam a marito pecuniam in sportulas pro cognato suo ordini erogaverit, an donatio valeat? Et ait, valere: nec videri locupletiores mulierem factam, quamvis mutuum pecuniam esset acceptura, & pro adfines erogatura. §. 18. In donationibus autem jure civili impeditis hætenus revocatur donum ab eo, (ab eave,) cui donatum est, ut, si quidem existet res, vindicetur 30; si consumpta sit, condicatur hætenus, quatenus 31 locupletior quis eorum factus est:

6. GAJUS lib. 11. ad Edictum provinciale.

Quia quod ex non concessa donatione retinetur, id aut sine causa, aut ex injusta 32 causa retineri intelligitur: ex quibus causis conditio nasci solet.

Quo tempore spectatur, an sit locupletior. 1. Si uxori unguentorum emendorum causa daretur. 2. De mutua donatione. 3. De prædio emto ex pecunia donata, 4. Vel partim ex donata, partim ex propria. 5. De æstimatione. 6. De emtione pignoris. 7. Si maritus pro uxore venditori pretium solverit. 8. De donatione manumissionis causa.

7. ULPIANUS lib. 31. ad Sabinum.

Quod autem spectetur tempus, an locupletiores sint facti: utrum tempus litis contestatæ, an rei judicatæ? Et verum est, litis contestatæ tempus spectari oportere; idque Imperator noster cum Patre rescripsit. §. 1. Si maritus pecuniam uxori in unguenta dederit, eaque eam (pecuniam) creditori suo solverit, mox (ea) de sua 33 pecunia unguenta emerit: non videri locupletiores factam, Marcellus lib. vii. Digestorum scribit. Idemque, & si lancem ob eandem causam ei dederit, eaque lancem retinuerit, de sua autem pecunia unguenta emerit, vindicationem cessare: quia non est locupletior, quæ tantumdem in re mortua impendit. §. 2. Si vir, & uxor quina invicem sibi donaverint, & maritus servaverit, uxor consumserit, recte placuit compensationem fieri 34 donationum; & hoc Divus Hadrianus constituit. §. 3. Idemque ait, (&) si vir uxori pecuniam donaverit, ipsaque ex ea prædium emerit: æstimari oportere, in quantum locupletior facta sit mulier. Proinde & si prædia hodie vilissimo sunt, consequenter dicemus, litis contestatæ tempore æstimationem eorum spectandam. Plane, si magni pretii prædia sunt, summa (tantum) numerata erit restituenda, non etiam usuræ pretii. §. 4. Eleganter tractabitur: si mulier quindecim prædia emerit, & maritus non totum pretium numeraverit, sed duas partes pretii, hoc est decem, uxor de suo quinque; deinde hæc prædia valeant nunc decem: maritus quantum consequatur? Et magis est, ut consequi debeat duas partes decem: ut quod perit ex pretio, utrique perierit, & marito, & uxori. §. 5. Si maritus æstimationem rerum, quas in dotem accepit,

dicat se donationis 35 causa auxisse: remedium monstravit Imperator noster cum Divo Fratrem suo, Rescripto, cujus verba hæc sunt: *Cum donationis causa pretium auctum adfirmes, qui super ea re cogniturus erit, si pecuniæ modum recusabis, ipsa prædia restitui debe-re, sumtuum deductis rationibus arbitrabitur.* In arbitrio 36 igitur mariti erit, quid præstitum malit. † Idem juris est, & si e contrario mulier de minore æstimatione queratur. Nec aliud in com-modato æstimato (dato) observari solet, ut Pomponius lib. iv. variarum Lectionum scribit. §. 6. Si uxor a marito suo prædia, quæ ob dotem pignori acceperat, emerit, eaque emtio 37 do-nationis causa facta dicatur, nullius esse momenti: pignoris tamen obligationem durare, Imperator noster cum Patre suo rescripsit, cujus Rescripti verba ideo retuli, ut appareat, venditionem inter virum, & uxorem bona fide gestam non retractari: *Si tibi maritus pignora propter dotem, & pecuniam creditam data, non donationis causa, vendidit quod bona fide gestum est, manebit ratum: at si titulus donationis quæsitus ostenditur, atque ideo venditionem irritam esse constabit, jure publico causam pignorum integram obtinebis.* §. 7. Si uxor rem emit, & maritus pretium pro ea 38 numeravit: interdum dicendum est, totum a muliere repetendum, quasi locupletior ex ea in solidum facta sit; utputa, si emit quidem rem mulier, & debebat pecuniam, maritus (autem) a venditore eam liberavit: quid enim interest, creditori solvat, an venditori? §. 8. Uxori quis donavit servum, ita ut eum intra annum manumitteret: an si mulier non obtemperet voluntati, Constitutio Divi Marci 39 imponat ei libertatem, si vir vel vivit, vel etiam diem suum obierit 40? Et ait Papinianus, cum Sabini sit sententia recepta, (quæ putat tunc fieri servum ejus, cui donatur, cum cœperat libertas imponi, ideoque nec si velit mulier, post exactum tempus possit manumittere,) recte dici, non esse Constitutioni locum: nec voluntatem mariti posse Constitutioni locum facere, cum proprium servum possit manumittere. Quæ sententia mihi quoque probatur, quia venditor, sive donator non sibi vult legem imponi, nec potest 41: sed ei, qui accepit: dominio igitur penes se remanente, nequaquam effectum habebit Constitutio. §. 9. Manumissionis causa donatio facta valet 42: licet non hoc agatur, ut statim ad libertatem, sed quandoque perducatur; proinde si, ut post certum tempus manumittat, uxori suæ tradidit, tunc demum ejus fiet, cum tempore impleto manumittere cœperit: quare antea manumittendo nihil agit. Nam & illud sciendum est: si uxori quis suæ donaverit, ut intra annum manumittat, deinde non manumiserit (ea) intra annum postea manumittendo nihil agi.

8. GAJUS lib. 11. ad Edictum provinciale.

Si antequam servus manumittatur, morte 43 aut divortio solutum fuerit matrimonium, resolvitur donatio: inesse enim conditio donationi videtur, ut manente matrimonio manumittatur.

De damnatione causa mortis.

9. ULPIANUS lib. 32. ad Sabinum.

Si cum uxori donet maritus, qui ejus erat conditionis, ne unquam ad libertatem perducatur: dicendum est, omnino nihil agi hac donatione. §. 1. Si, pecunia accepta, mulier manumiserit, vel operas ei imposuerit: ait Julianus, operas quidem eam licito jure imposituram, & tenere obligationem: nec videri mulierem ex re viri locupletiores fieri, cum eas libertus promittat. Quod si pretium ob manumissionem acceperit mulier, & sic manumiserit: si quidem ex peculio suo dedit, nummos mariti manere: sin vero alius pro eo dedit, fiant nummi mulieris: Quæ sententia recte se habet. §. 2. Inter virum, & uxorem mortis causa donationes receptæ sunt 44:

10. GAJUS lib. 11. ad Edictum provinciale.

Quia in hoc tempus excurrit donationis eventus, quo vir, & uxor esse desinunt.

De donatione divortii causa.

11. ULPIANUS lib. 32. ad Sabinum.

Sed interim res non statim fiunt ejus, cui donatæ sunt, sed tunc demum, cum mors 45 insecuta est. Medio igitur tempore dominium 46 remanet apud eum, qui donavit. §. 1. Sed quod dicitur, *mortis causa donationem inter virum, & uxorem valere*, ita verum est, ut non solum ea donatio valeat, secundum Julianum,

(27. l. 45. infr. ad SC. Trebell. l. 1. l. 19. C. ad leg. Falcid. (28. l. 62. supr. de condic. indeb. (29. l. 25. l. 31. §. 7. infr. h. t. (30. l. 6. l. 33. §. 1. l. 36. in pr. l. 39. l. 55. in fin. infr. eod. l. 1. C. de donat. quæ sub modo. (31. l. 50. in fin. infr. h. t. (32. l. 1. in fin. supr. de condic. sine caus. (33. l. 28. §. pen. infr. h. t. (34. Immo vide l. 32. §. 9. infr. eod.

(35. l. 12. in pr. supr. de jure dot. (36. l. 10. in fin. l. 12. §. 1. supr. h. t. (37. l. 5. §. 5. supr. l. 32. §. 25. infr. h. t. (38. l. 50. infr. eod. (39. v. l. 2. & 3. C. de mancip. ita fuerit alienat. (40. l. 8. infr. h. t. (41. Adde l. 40. in fin. infr. de fideicom. libert. (42. l. 22. C. h. t. l. 109. in pr. infr. de legat. 1. (43. l. 1. infr. de divort. (44. l. 10. & 11. infr. h. t. l. 43. infr. de mort. caus. donat. (45. §. 8. in fin. infr. h. t. (46. l. 76. infr. de hered. instit.

quæ hoc animo fit, ut tunc res fiat uxoris, vel mariti, cum mors insequetur, sed omnis mortis causa donatio. §. 2. Quando itaque non retro agatur donatio, emergunt vitia, ut Marcellus animadvertit in specie hujusmodi: Maritus uxori mortis causa donatum voluit: interposuit mulier filiumfamilias 47, qui a marito acciperet, eique traderet: deinde, cum moritur maritus, paterfamilias invenitur: an valeat traditio? Et ait, consequens esse dici, traditionem valere, quia sui juris effectus est eo tempore, ad quod traditio redigitur, id est, cum maritus moriebatur. §. 3. Idem ait: placuisse scio Sabinianis, si filiafamilias 48 uxori maritus tradet, donationem ejus cum omni suo emolumento fieri; si vivo adhuc marito sui juris fuerit effecta, quod & Julianus lib. xvii. Digestorum probat. §. 4. Proinde & si uxor marito filiofamilias mortis causa tradat, & is sui juris effectus sit, sine dubio dicemus ipsius fieri. §. 5. Per contrarium quoque, si uxor donaverit mortis causa patrifamilias marito, & mortis ejus tempore filiusfamilias invenitur: patri erit nunc emolumentum quæsitum. §. 6. Consequenter Scævola apud Marcellum notat; si servum interposuit mulier, ut ei tradatur mortis causa, isque adhuc servus dederit mulieri, deinde mortis tempore liber invenitur: tantumdem esse dicendum.

§. 7. Idem Marcellus tractat: si is, qui interpositus est, postquam dederit mulieri, decesserit vivo adhuc donatore, donationem evanescere, quia debeat aliquo momento interposito fieri, & sic ad mulierem transire. Quod ita procedit, si ea, cui donabatur, eum interposuit, non is, qui donabat. Porro si a marito interpositus est, & res ipsius statim facta est: & si ante mortem mariti tradiderit, & decesserit, traditio ejus egit aliquid; ut tamen hæc traditio pendeat, donec mors sequatur. §. 8. Si uxor rem Titio dederit, ut is marito mortis causa traderet; eaque defuncta, invitis heredibus ejus, Titius marito dederit, interest, utrum a muliere sit interpositus Titius, an vero a marito, cui donabatur. Si a muliere interpositus (est,) obligabit se conditione, si marito tradiderit; si autem a marito sit interpositus, mortua muliere, confestim fundus efficietur ejus, quem maritus interposuit, & actionem ipse maritus cum eo habeat. §. 9. Si uxor rem, quam a marito suo mortis causa acceperat, vivo eo, alii tradiderit: nihil agitur ea traditione; quia non ante ultimum vitæ tempus mulieris fuit. Plane in quibus casibus placeat retro agi donationem, etiam sequens traditio a muliere facta, in pendentem habebitur. §. 10. Si maritus uxori donaverit mortis causa, eaque diverterit, an dissolvatur donatio? Julianus scripsit, infirmari donationem, nec impendere. §. 11. Idem ait, si divortii 49 causa facta sit donatio, valere.

12. PAULUS lib. 7. ad Sabinum.

Quæ tamen sub ipso divortii tempore, non quæ ex cogitatione quandoque futuri divortii fiant.

1. De deportatione. 2. Si quis acceperit, ut in suo ædificet.

13. ULPIANUS lib. 32. ad Sabinum.

Sed si mors sit insecta, non videri factas res mulieris: quia donatio in alium casum facta est. §. 1. Proinde & si mortis causa uxori donaverit, & deportationem passus est, an donatio valeat, videamus? Et alias placet, in casum deportationis 50 donationem factam valere, quemadmodum in causam divortii. Cum igitur deportatione matrimonium minime dissolvatur 51, & nihil vitium mulieris incurrit, humanum est, donationem, quæ mortis causa ab initio facta est, tali exilio subsecuto confirmari: tamquam si, mortuo marito, rata habebatur: ita tamen, ut non adimatur 52 licentia marito, eam revocare; quia & mors ejus expectanda est: ut tunc plenissimam habeat firmitatem, quando ab hac luce fuerit subtractus, sive reversus, sive adhuc in poena constitutus. §. 2. Cum quis acceperit, ut in suo ædificet, condici ei id non potest: quia magis donari ei videtur. Quæ sententia Neratii quoque fuit: ait enim, datum ad villam extruendam; vel agrum serendum, quod alioquin facturus non erat is, qui accepit, in speciem donationis cadere. Ergo inter virum, & uxorem hæc erunt interdictæ.

De adium refectione.

14. PAULUS lib. 71. ad Edictum.

Quod si vir uxori, cujus ædes incendio consumptæ sunt, ad refectionem earum pecuniam donaverit: valet donatio in tantum, in quantum ædificii constructio postulat.

De annuo, vel menstruo. 1. De usuris, & periculo rei donata.

15. ULPIANUS lib. 32. ad Sabinum.

Ex annuo, vel menstruo, quod uxori maritus præstat, tunc, quod superest, revocabitur, si satis immodicum est, id est, supra vires dotis. §. 1. Si maritus uxori pecuniam donaverit, eaque usuras ex donata pecunia perceperit: lucrabitur. Hæc ita Julianus in marito lib. xviii. Digestorum scribit.

16. TRYPHONINUS lib. 10. Disputationum.

Quid ergo, si ex centum, quæ vir uxori donavit, quinquaginta apud debitorem (ex his) perierint, & alia quinquaginta duplicata usuris uxor habet? Non plus quinquaginta, ejus donationis nomine, maritus ab ea consequetur.

De fructibus prædii donati. 1. De acquisitis per servum donatum.

17. ULPIANUS lib. 32. ad Sabinum.

De fructibus quoque videamus, si ex fructibus prædiorum, quæ donata sunt, locupletata sit, an in causam donationis cadant? Et Julianus significat, fructus quoque, ut usuras, licitam habere donationem. §. 1. Sed si quid servus donatus adquisiit, ad eum, qui donavit, pertinebit.

De usu servorum, aut vestimentorum. De habitatione.

18. POMPONIUS lib. 4. ex variis Lectionibus.

Si vir uxoris, aut uxor viri servis, aut vestimentis usus, vel usa 54 fuerit, vel in ædibus eius gratis habitaverit, valet donatio.

De ancilla emta a servo donato.

19. ULPIANUS lib. 32. ad Sabinum.

Si uxor filio donaverit servum, qui in patris mariti sit potestate 55; deinde is servus ancillam 56 acceperit; dominium mulieri quæretur. Nec interesse Julianus ait, ex cujus pecunia (hæc) ancilla emta sit, quia \* nec ex re sua quicquam adquiri potest per eum, qui donatur, ei, cui donatur; hoc enim bonæ fidei possessoribus concessum est: virum autem scientem, alienum possidere.

§. 1. Idem quærit, si ex re mariti ea ancilla comparata fuerit, an adversus agentem mulierem de dote (maritus) pretium possit per exceptionem retinere? Et dicendum est, posse maritum (&) exceptionem habere, si dōs ab eo petatur, secundum Marcelli sententiam: & si solverit, secundum Julianum, condicere posse.

Si servus mortis causa donatus stipuletur.

20. JAVOLENUS lib. 11. Epistolarum.

Si is servus, qui uxori mortis causa donatus est, priusquam vir decederet, stipulatus est: in pendentem puto esse causam obligationis, donec vir aut moriatur, aut suspicione mortis, propter quam donavit, liberetur; quidquid autem eorum inciderit, quod donationem aut perimat, aut confirmet: id quoque causam stipulationis aut confirmabit, aut resolvet.

De impensis in itinere. 1. De usuris dotis.

21. ULPIANUS lib. 32. ad Sabinum.

Si quis pro uxore sua vectigal, quod in itinere præstari solet, solvisset, an, quasi locupletior esset ea facta, exactio fiat: an vero nulla sit donatio? Et magis puto, non interdictum hoc: maxime si ipsius causa profecta est. Nam & Papinianus lib. iv. Responsorum scripsit, vecturas 57 uxoris, & ministeriorum ejus, virum itineris sui causa datas repetere non posse; iter autem fuisse videtur viri causa, & cum uxor ad virum pervenit; nec interesse, an aliquid de vesturis in contrahendo matrimonio convenerit; \* non enim donat, qui necessariis oneribus succurrit. Ergo & si consensu mariti profecta est mulier propter suas necessarias causas, & aliquid maritus expensarum nomine ei præstiterit, hoc revocandum non est. §. 1. Si uxor viro dotem promiserit, & dotis usuras, sine dubio dicendum est, peti usuras posse: quia non est ista donatio, cum pro 58 oneribus matrimonii petantur. Quid tamen, si maritus uxori petitionem earum remisit? Eadem erit quæstio, an donatio sit illicita. Et Julianus hoc diceret: Quod verum est. Plane si convenerat, uti se 59 mulier pasceret, suosque homines, idcirco passus est, eam dote sua frui, ut se, suosque aleret: expeditum erit; puto enim non posse ab ea peti quasi donatum, quod compensatum est.

De servo donato, & herede instituto.

22. IDEM lib. 3. ad Sabinum.

Uxori suæ quis mortis causa servum donavit, eumque cum libertate heredem scripsit: an valeat institutio quæritur? Et

(47. Adde §. 6. infr. h. l. (48. Adde §. 4. infr. h. l. (49. l. 60. §. 1. infr. h. l. (50. Adde l. 43. infr. eod. (51. l. 1. C. de repudiation. (52. l. 24. C. h. vis.

(53. l. 19. in princ. infr. eod. (54. l. 28. §. 2. infr. eod. (55. v. l. 3. §. 6. supra. l. 58. in fin. infr. eod. (56. l. 17. in fin. supra. eod. (57. l. 26. §. 3. supra. de pact. dotal. (58. l. 20. C. de jure dot. (59. l. 31. §. ult. l. 58. §. 1. infr. h. l. l. 2. C. de pact. convent.

puto si hoc animo eum scripsit heredem, quod donationis se dixit poenituisse, valere institutionem, & necessarium heredem domino servum fieri: ceterum si, posteaquam heredem instituit, donavit, donatio praevaleret; vel si ante donavit, non tamen adimendi animo libertatem adscripsit.

*De rerum donatione, & promissione.*

23. IDEM lib. 6. ad Sabinum.

Papinianus recte putabat, Orationem Divi Severi ad rerum donationem pertinere: denique si stipulanti 60 spondisset uxori suae, non putabat 61 conveniri posse heredem mariti, licet durante voluntate maritus decesserit.

*De usucapione.*

24. PAULUS lib. 7. ad Sabinum.

Si inter extraneos facta sit donatio, & antequam per tempus legitimum dominium fuerit acquisitum, coierint, vel contra, si inter virum, & uxorem facta sit donatio, &, ante impletum tempus supradictum, solum sit matrimonium: nihilominus procedere temporis suffragium constat: quia altero modo sine vitio tradita est possessio; altero, quod fuerit vitium, amotum sit.

25. TERENTIUS CLEMENS lib. 5. ad Legem

Juliam, & Papiam.

Sed & si constante matrimonio, res aliena uxori a marito donata fuerit, dicendum est, confestim ad usucapionem ejus uxorem admitti: quia & si (non) mortis causa donaverat ei, non impediretur usucapio; nam jus constitutum ad eas 62 donationes pertinet, ex quibus & locupletior mulier, & pauperior maritus in suis rebus sit. Itaque licet mortis causa donatio interveniat, quasi inter extraneas personas fieri intelligenda est in ea re, quae, quia aliena est, usucapi potest.

*De re marito vendita, & mulieri tradita. 1. Quibus ex causis donatio valet inter socerum, generum, vel nurum.*

26. PAULUS lib. 7. ad Sabinum.

Si cum, qui mihi vendiderit, jusserim 63 eam rem uxori meae donationis causa dare; & is possessionem jussu meo tradiderit: liberatus erit: quia licet illa jure civili possidere non intelligatur, certe tamen venditor nihil habet, quod tradat. §. 1. Ex quibus causis inter virum, & uxorem concessae sunt donationes, ex iisdem, & inter socerum 64, & generum, nurumve concessas Neratius ait: Ergo socer 65 genero mortis, vel divortii causa (donabit: sed) & gener socero mortis suae, vel divortii causa.

*Si donationem nuptiae sequantur eodem die.*

27. MODESTINUS lib. 7. Regularum.

Inter eos, qui matrimonio coituri sunt 66, ante 67 nuptias donatio facta jure consistit, etiam si eodem 68 die nuptiae fuerint consecuta.

*De rei interitu. 1. De impensis. 2. De operis servorum. 3. De re, 4. Aut rebus emtis ex pecunia donata. 5. De acquisitis per servum emtum ex nummis donatis. 6. De impensa facta ante annum acceptum. 7. De usuris dotis.*

28. PAULUS lib. 7. ad Sabinum.

Si id, quod donatum sit, perierit 69, vel consumptum sit, ejus, qui dedit, est detrimentum: merito, quia manet res ejus, qui dedit, suamque rem perdit. §. 1. Si quid in pueros ex ancillis dotalibus natos maritus impenderit, aut in doctrinam, aut alimenta: non servatur marito: quia ipse ministeriis eorum utitur. Sed illud servatur, quod nutrici datum est ad educandum: quia pro capite quid dedisset: quemadmodum si a praedonibus redemisset servos dotalis. §. 2. Si quas servi operas viri 70 uxori praestiterint, vel contra: magis placuit, nullam habendam earum rationem. Et sane non amare 71, nec tamquam inter infestos jus prohibita donationis tractandum est: sed ut inter conjunctos maximo affectu, & solam inopiam timentes. §. 3. Si ex decem donatis sibi mulier servum emerit, & is quinque sit, quinque petenda esse, apud Plautium placuit: quemadmodum si mortuus 72 est, nihil petere. Si vero quindecim dignus sit, non 73 plus, quam decem potest peti: quoniam eatenus donator pauperior factus esset. §. 4. Quod si ex decem duos servos emerit; & eorum alter mortuus sit, alter decem dignus sit: solet quaeri. Et plerique, & Pomponius

interesse putant, utrum uno pretio venierint, an diversis: si uno, tota decem petenda; quemadmodum si una res emta deterior facta esset, vel grex, vel carruca, & aliqua pars inde perisset; si diversis, hoc solum petendum, quanti sit emtus, qui superest.

§. 5. Julianum putasse Pomponius refert: si quid per eum servum, quem ex nummis a marito donatis mulier adquisisset, forte legatum, hereditatem; aut partus editus esset: eo quoque nomine petitionem faciendam esse. §. 6. Illud constat, si, antequam a viro annum acciperet mulier, ipsa de suo 74, aut etiam mutua impenderit: videri tantum jam ex annuo consumptum. §. 7. Illud recte dictum Celsus ait: si dotis usuras annuas uxor stipulata sit, licet ei non debeantur, quia tamen quasi de annuo 75 convenerit, peti quidem dotis judicio non possunt: compensari autem possunt. Idem ergo dicemus in qualibet pactioe annui 76 nomine facta.

*Si mulier ex pecunia donata emtum servum vendiderit & alium emerit. 1. De lana, & vestimentis ex ea factis.*

29. POMPONIUS lib. 14. ad Sabinum.

Si mulier ex pecunia donata emtum servum vendidisset, & alium emisisset: posteriorem periculo mulieris esse Fulcinus scripsit. Quod non est verum, licet non ex re mariti emtus sit. §. 1. Si vir uxori lanam donavit, & ex ea lana vestimenta sibi confecit: uxoris esse vestimenta, Labeo ait:

*Utilem tamen viro competere.*

*Si aedificetur in area donata. 3. De venditione minoris facta. 5. De actione aedilitia, & ex emto. 6. De solutione ante diem. 7. De legato, & hereditate. 8. De munere. 9. De nummis impensis in obsonia, aut unguenta, aut cibaria.*

31. POMPONIUS lib. 14. ad Sabinum.

Sed si vir lana sua vestimentum mulieri confecerit, quamvis id uxori confectum fuerit, & uxoris cura, tamen viri esse: neque impedire, quod in ea re uxor tamquam lanipendia fuerit, & viri negotium procuraret. §. 1. Si uxor lana sua, operis ancillarum 77 viri, vestimenta suo nomine confecit muliebria: & vestimenta mulieris esse, & pro operis ancillarum viro praestare nihil debere, sed viri nomine vestimenta confecta virilia, viri esse: ut is lana uxori praestet pretium: sed si non virilia vestimenta suo nomine mulier confecit, sed ea viro donavit, non valere donationem: cum illa valeat, cum viri nomine confecit: nec unquam operas viri ancillarum aestimari convenit. §. 2. Si vir uxori 78 aream donaverit, & uxor in ea insulam aedificaverit, ea insula sine 79 dubio mariti est: sed eam impensam mulierem servaturam placet: nam si maritus vindicet insulam, retentionem impensae mulierem facturam. §. 3. Si duo mancipia fuerint, singula quibus digna, sed utrumque unis quinque donationis causa a viro mulieri, vel contra venierint: melius dicitur, communia ea esse pro portione pretii: nec tandem spectandum esse, quanti mancipia sint: sed quantum ex pretio donationis causa sit remissum. Sine dubio licet a viro, vel uxore minoris emere, si non sit animus donandi.

§. 4. Si vir uxori, vel contra, quid vendiderit vero pretio, & donationis causa paciscantur, ne quid venditor ob eam rem praestet: videndum est, quid (de) ea venditione agatur: utrum res venierit, & totum negotium valeat: an vero, ut ea sola pactio irrita sit, quemadmodum irrita esset, si post contractam emtionem novo consilio inito id pacti fuisset actum? Et verius est, pactum dumtaxat irritum esse. §. 5. Idem dicemus, si donationis causa pacti sint, ne fugitivum, aut erronem praestet; id est, integras esse actiones aedilitias, & ex emto. §. 6. Quod vir uxori in diem debet, sine metu donationis praesens solvere potest; quamvis commodum temporis, retenta pecunia, sentire potuerit. §. 7. Quod legaturus mihi, aut hereditatis nomine relicturus es, potes 80 rogatus a me uxori meae relinquere: & non videtur ea esse donatio: quia 81 nihil ex bonis meis deminuitur: in quo maxime majores donanti succurrisse Proculus ait, ne 82 amore alterius alter despoliaretur: non quasi malevolos, (ne) alter locupletior fieret.

§. 8. Si vir uxori munus immodicum Kalendis Martiis, aut natali die dedisset, donatio est: sed si impensas, quas faceret mulier, quo honestius se tueretur, contra est. §. 9. Non videtur

(60. l. 3. §. 10. supr. h. t. (61. Immo vide l. 33. in pr. infr. eod. (62. l. 5. §. 8. §. 16. supr. eod. (63. l. 3. §. 12. supr. eod. (64. l. 3. in fin. C. eod. (65. l. 53. in pr. infr. eod. (66. l. 1. §. 1. infr. de donat. (67. l. 7. §. 1. supr. de jur. dot. (68. l. 66. §. 1. infr. h. t. (69. §. 3. infr. hic. l. 8. C. eod. (70. l. 18. supr. l. 31. §. 1. infr. eod. (71. l. 18. in pr. supr. de aedil. edict. (72. in pr. supr. h. t. (73. l. 7. §. 3. supr. l. 55. in fin. infr. h. t.

(74. d. l. 7. §. 1. (75. Adde l. 33. infr. eod. (76. v. l. 11. C. eod. (77. l. 28. §. 2. supr. eod. (78. l. 10. infr. de doli mali, & met. except. (79. arg. l. 7. §. 10. vers. quia omne infr. de acquir. rer. domin. (80. Immo vide l. 3. in fin. l. 4. supr. h. t. (81. l. 5. §. 16. supr. eod. (82. l. 1. supr. eod.

locupletior facta esse mulier, si aut in obsonio, aut in unguentis 83, aut in cibariis familiae, donatam sibi pecuniam impenderit.

§. 10. Quae vir cibaria uxoris 84 familiae, jumentisve praestiterit, quae in usu communi erant, non condicentur: quod si familiam domesticam uxoris, aut venalitiam pavit, contra puto observari debere.

*De oratione Antonini. 1. De comparatis uxori a viro, & de aliis donationibus. De Falcidia. 2. Verba orationis. 3. De poenitentia. 5. De pignore. 6. De servitute. 7. Si donator mortem sibi consciverit: aut ejus memoria damnata sit. 8. De milite damnato. 9. Si accipiens factus sit locupletior, vel non. 10. De divortio. 11. & redintegratione matrimonii. 12. De fribusculo. 13. De habitatione separata. 14. De morte, vel captivitate utriusque, donantis scilicet, & cui donatur. 15. De legato. 16. De viro, & uxore, & ceteris. 17. De peculio castrensi. 18. De nuru, & socero. 20. De consoceris, & his qui sunt in eorum potestate. 22. De sponsis. 23. De re donata, & de acceptilatione. 24. De societate. 25. De emtione. 26. Minoris facta. 27. De ea, quae nupta esse non potest.*

32. ULPIANUS lib. 33. ad Sabinum.

Cum hic status esset donationum inter virum, & uxorem, quem antea retulimus, Imperator noster Antoninus Augustus ante excessum Divi Severi patris sui, Oratione in Senatu habita, auctor fuit Senatu censendi, Fulvio Aemiliano, & Nummio Albino Consulibus, ut aliquid laxaret ex juris rigore. §. 1. Oratio 85 autem Imperatoris nostri de confirmandis donationibus non solum ad ea pertinet, quae nomine uxoris a viro comparata sunt, sed ad omnes donationes inter virum, & uxorem factas: ut & ipso jure res fiant ejus, cui donatae sunt; & obligatio sit civilis: & de Falcidia 86, ubi possit locum habere, tractandum sit; cui locum ita fore opinor, quasi testamento sit confirmatum quod donatum est.

§. 2. Ait Oratio: *Fas esse, eum (quidem) qui donavit 87, poenitere: heredem vero eripere, forsitan adversus voluntatem supremam ejus, qui donaverit, durum, & avarum esse.* §. 3. *Poenitentiam accipere debemus supremam.* Proinde si uxori donavit, deinde eum poenituit, mox desinit poenitere: dicendum est, donationem valere: ut supremum ejus spectemus iudicium; quemadmodum circa fideicommissa solemus, vel in legatis, cum de doli exceptione opposita tractamus, ut sit ambulatoria 88 voluntas ejus usque ad vitam supremum exitum. §. 4. Sed ubi semel donatorem poenituit, etiam heredi revocandi potestatem tribuimus, si appareat, defunctum evidenter revocasse voluntatem: quod si in obscuro sit, proclivior esse debet iudex ad comprobendam donationem §. 6. Si maritus ea, quae donaverit, pignori dederit: utique eum poenituisse 89 dicemus, licet dominium retinuit. Quid tamen, si hoc animo fuit, ut vellet adhuc donatum? finge in possessionem precariam mulierem remansisse, paratamque esse satisfacere creditori: dicendum est, donationem valere: nam si ab initio (ei) rem obligatam hoc animo donasset, dicerem, vim habere donationem, ut parata satisfacere mulier haberet doli exceptionem. Quinimo & si satisfecisset, potuisse eam per doli exceptionem consequi, ut sibi mandentur actiones. §. 6. Si donator, servus fuerit effectus privati, dicendum est, non impletam, sed peremptam donationem: quamvis morti 90 servitus comparatur: proinde & si ipsa in servitute redigatur, cui donatum est, extincta erit (donatio). §. 7. Si maritus uxori donaverit, & mortem sibi ob sceleris 91 conscientiam consciverit, vel (etiam) post mortem memoria ejus damnata sit, revocabitur 92 donatio: quamvis ea, quae aliis donaverit, valeant, si non mortis causa donavit. §. 8. Si miles uxori donaverit de castrensibus bonis, & fuerit damnatus: quia permissum 93 est ei de his testari, si modo impetravit, ut testetur, cum damnaretur, donatio valebit: nam & mortis causa donare poterit, cui testari permissum est. §. 9. Quod ait Oratio 94 consumpsisse 95, sic accipere debemus: ne is, qui donationem accepit, locupletior 96 factus sit: ceterum, si factus est, Orationis beneficium locum habebit. Sed & si non sit factus locupletior, dederit tamen tantam quantitatem, eaque est: dicendum est, si is deceffit, qui factus est locupletior, posse repetere id, quod dedit; nec 97 compensa-

re id, quod consumpsit: quamvis, divortio secuto, haec compensatio locum habeat. §. 10. Si divortium (post) donationem intercessit, aut prior decefferit, qui donum accepit: veteri juri statum: hoc est, si maritus uxori donatum vult, valeat donatio; quod si non vult, extinguitur; plerique 98 enim cum bona gratia discedunt, plerique cum ira sui animi, & offensa. §. 11. Quid ergo, si divortium factum est, deinde matrimonium restauratur; & in divortio vel mutata est voluntas, vel eadem duravit: restaurato tamen matrimonio, & voluntate donatoris reconciliata: an donatio duret, si constante matrimonio donator decefferit? Et potest defendi, valere. §. 12. Quod si divortium non intercesserit, sed fribusculum, profecto valebit donatio, si fribusculum quievit.

§. 13. Si mulier, & maritus diu seorsum (quidem) habitaverint, sed honorem invicem matrimonii habebant: (quod scimus interdum & inter consulares personas subsecutum): puto, donationes non valere, quasi duraverint nuptiarum; \* non 99 enim coitus matrimonium facit, sed maritalis affectio. Si tamen donator prior decefferit, tunc donatio valebit. §. 14. Si ambo ab hostibus capti sint, & qui donavit, & cui donatum est, quid dicimus? & prius illud volo tractare: Oratio, si ante mors contigerit ei 100, cui donatum est, nullius momenti donationem esse voluit: ergo si ambo decefferint, quid dicemus? naufragio forte, vel ruina, vel incendio? Et si quidem possit apparere, quis ante spiritum posuit, expedita est quaestio: si vero non appareat, difficilis quaestio est; & magis puto, donationem valuisse; & his ex verbis Orationis defendimus: ait enim Oratio, *si prior vita decefferit, qui donatum accepit; non videtur autem prior vita deceffisse, qui donatum accepit, cum simul decefferint.* † Proinde rectissime dicitur, utraque donationes valere, si forte, invicem donationibus factis, simul decefferint; quia neuter alteri supervixerit: licet de commorientibus Oratio non senserit. † Sed cum neuter 101 alteri supervixerit, donationes mutuae valebunt: nam & circa mortis causa donationes mutuae id erat consequens dicere, neutri datam conditionem: locupletes igitur heredes donationibus relinquant. † Secundum haec si ambo ab hostibus simul capti sint, amboque ibi decefferint non simul; utrum captivitatis spectamus tempus, ut dicamus donationes valere, quasi simul decefferint: an neutram, quia vivis eis finitum est matrimonium; an spectamus, uter prius decefferit, ut in ejus persona non valeat donatio: an uter rediit, ut ejus valeat? Mea tamen fert opinio 102, ubi non reverterunt, ut tempus spectandum sit captivitatis, quasi tunc defecerint: quod si alter redierit, eum videri supervixisse, quia rediit. §. 15. Quasdam res ex his, quas donaverat, legasset, quasdam non: (non) videbitur, ceteras noluisse ad uxorem pertinere: plerumque enim antea legat, postea donat; vel alia causa fuit legandi. §. 16. Oratio non solum virum, & uxorem complectitur: sed etiam ceteros, qui propter matrimonium donare prohibentur: ut puta donat socer nurui, vel contra 103; (vel) socer genero, vel contra, (vel) consocer consocero, qui copulatos matrimonio in potestate habent: nam, ex mente Orationis, his quoque omnibus permissum est, in eundem 104 casum donare: Et ita Papinianus lib. IV. Responsoforum sensit, sic enim scribit: *socer nurui, vel genero donavit: postea filius ejus, vel filia constante matrimonio, vita deceffit. Quamquam vitium donationis perseveret, tamen si socer nullam quaestionem donationibus intulit, post mortem ejus contra heredes Orationis sententia videtur intervenire: nam quae ratio donationem prohibuit, eadem beneficium datum imploravit.* Ut igitur valeat donatio ista, Papinianus exigit, ut & filius ejus, qui donavit, ante decefferit: & socer postea, durante voluntate. §. 17. Si filiusfamilias, qui castrense peculium habet, vel quasi castrense, uxori donet: filii personam, & mortem spectabimus. §. 18. Si nurus 105 socero donaverit, mortem nurus, & perseverantem in supremum diem voluntatem spectare nos oportet. Quod si socer ante decefferit, dicemus extinctam donationem? an quia maritus vivit, si uxori suae supervixit, admittimus vim habere donationem? Et si quidem maritus solus socero heres exstitit, quasi nova donatio potest servari in maritum collata: ut illa finita sit, alia coeperit: si vero filius heres patris non est, finita erit donatio ratione nova. §. 19. Si socer nurui nuncium miserit, donatio erit irrita: quamvis matrimonium 106, concordantibus viro, & uxore, secundum rescriptum Imperatoris nostri cum Patre, comprobatum est: sed quod ad ipsos,

(83. l. 7. §. 1. supr. l. 11. C. eod. (84. l. 21. in fin. supr. eod. (85. l. 10. C. eod. (86. l. 12. C. ad leg. Falcid. (87. l. 1. l. 3. l. 14. C. h. t. (88. l. 4. in fin. infr. de adimend. vel transferend. legat. (89. l. 12. C. h. t. abrogat. Nov. 362., c. 1. §. 1. (90. l. 39. in fin. infr. de condit. & demonstr. (91. l. 2. C. qui testam. facere poss. (92. arg. d. l. 2. (93. l. 13. C. de testam. milit. (94. §. 2. supr. h. l. (95. l. 8. C. h. t. (96. l. 9. C. eod. (97. l. 20. v. l. 7. §. 2. supr. eod. (98. Nov. 22. c. 4.

(99. l. 15. infr. de condit. & demonstr. l. 30. infr. de reg. jur. (100. l. 6. l. 18. l. 20. C. h. t. l. 8. infr. de reb. dub. (101. l. 26. infr. de mort. caus. donat. adde d. l. 8. infr. de reb. dub. (102. Adde l. ult. C. h. t. (103. §. 18. infr. h. l. (104. l. 26. in fin. supr. eod. (105. l. 16. supr. h. l. (106. l. 5. C. de repud. inter

inter quos donatio facta est, finitum est matrimonium. §. 20. Proinde & si duo confoceri invicem donaverint, idem erit dicendum: si invitis filiis nuncium remiserint, inter ipsos irritam esse donationem. † In hac autem donatione inter foceros facta, mors desideranda est ejus, qui donavit constante matrimonio, & jure potestatis durante: idemque & in his, qui sunt in eorum potestate.

§. 21. Si confocer 107 confocero donaverit; & alter eorum, vel uterque copulatos emancipaverit, debet dici, donationem ad Orationem non pertinere; & ideo infirmari donationem. §. 22. Si sponsus sponsæ donaverit, in 108 tempus matrimonii collata donatione: quamvis inter virum, & uxorem donatio non videatur facta, & verba Orationis minus sufficiant: tamen donationem, dicendum est, ad sententiam Orationis pertinere: ut, si duraverit voluntas usque ad mortem, valeat donatio. §. 23. Sive autem res fuit, quæ donata est, sive obligatio remissa 109: potest dici, donationem effectum habituram: utputa uxori acceptum tulit donationis causa, quod debeat; potest dici pendere acceptilationem non ipsam, sed effectum ejus. Et generaliter, universæ donationes, quas impediri diximus, ex Oratione valebunt. §. 24. Si inter virum, & uxorem societas, donationis causa, contracta sit, jure vulgato nulla 110 est: nec post decretum Senatus, emolumentum ea liberalitas, ut actio pro socio constituitur, habere poterit: quæ tamen in commune tenuerunt, sine præstituto revocanda non sunt. Idcirco igitur pro socio actio non erit, quia nulla societas est, quæ donationis causa interponitur, nec inter ceteros: & propter hoc nec inter virum, & uxorem. §. 25. Idem erit dicendum & si emptio 111 contracta sit donationis causa: nam nulla erit.

§. 26. Plane, si minoris 112 res venierit donationis causa, vel postea pretium sit remissum 113: admittemus donationem valere ad Senatusconsultum. §. 27. Si quis sponsam habuerit, deinde eandem uxorem (duxerit), cum non liceret: an donationes, quasi in sponsalibus factæ, valeant, videamus? Et Julianus tractat hanc questionem in minore duodecim annis, si in domum quasi mariti immatura 114 sit deducta: ait enim hanc sponsam esse, etsi uxor non sit. Sed est verius, quod Labeoni videtur: & a nobis, & a Papiniano lib. x. Quæstionem probatum est; ut, si quidem præcesserint 115 sponsalia, durent, quamvis jam uxorem esse putet, qui duxit: si vero non præcesserint, neque sponsalia esse: quoniam non fuerunt, neque nuptias, quod nuptiæ esse non potuerunt; ideoque si sponsalia antecesserint, valet donatio: si minus, nulla 116 est: quia non quasi ad extraneam, sed quasi ad uxorem fecit, & ideo nec Oratio locum habebit. §. 28. Sed si Senator libertinam desponderit, vel tutor 117 pupillam, vel quis alius ex his, qui matrimonium copulare prohibentur, & duxerit, an donatio quasi in sponsalibus facta valeat? Et putem, etiam sponsalia improbanda: & quasi ab indignis 118 ea, quæ donata sunt, ablata, fisco vindicari.

*De annuo promisso, vel præstito.*

33. IDEM lib. 36. ad Sabinum.

Si stipulata fuerit mulier annum 119, id ex stipulatu petere, constante matrimonio, non potest. † Sed si, manente matrimonio, decessisse maritus proponatur: puto, quia in anno quoque donatio vertitur, posse dici, stipulationem confirmari ex Senatusconsulto. §. 1. Si uxor marito annum versa 120 vice præstitit, restituetur ei hoc: & poterit vindicare id, quod exstat. Credo, poterit & condicere, in quantum locupletior factus est: quia non tam solemne est annum, quod maritus uxori pendit: & quod uxor marito præstat; immo incongruens est, & contra 121 sexus naturam. §. 2. Et si forte maritus ab uxore stipulatus sit (id) annum 122, decesseritque mulier, constante matrimonio, dicendum erit, ex Oratione donationem convalescere.

*Si res donata, in dotem pro filia communi dentur.*

34. IDEM lib. 43. ad Sabinum.

Sive uxor marito res donasset, isque eas in dotem pro communi 123 filia dedisset: sive post donationem, quam in maritum

(107. l. 4. C. h. t. (108. l. 97. §. ult. infr. de verb. obl. l. 4. C. de donat. ante nupt. (109. §. 26. inf. hic. l. 5. §. 1. sup. h. t. (110. l. 5. in fin. sup. pro socio l. 16. §. 1. sup. de min. l. 35. §. 5. inf. de mort. caus. don. (111. l. 7. §. 1. sup. h. t. (112. l. 5. §. 5. sup. eod. (113. §. 23. sup. h. l. (114. l. 65. inf. h. t. (115. l. 9. sup. de sponsal. (116. l. 18. in fin. C. ad leg. Jul. de adult. (117. v. C. de interd. matrim. inter pupill. & tutor. (118. l. 4. C. de incest. & inut. nuptiis. (119. in fin. infr. hic. l. 28. in fin. sup. h. t. (120. l. 5. in fin. supra. l. 50. in fin. infr. eod. (121. Facit. l. 4. in fin. sup. ad SC. Vellejanum. l. 16. in fin. D. de donat. ante nupt. (122. in pr. sup. h. l. (123. l. 5. §. 9. supra. de jure dot.

contulit, uxor passa est, cum pro filia in dotem dare: benigne dici potest, etsi prima donatio nullius momenti est; attamen ex sequenti consensu valere dotis dationem.

*De divortio illegitime facto.*

35. IDEM lib. 34. ad Edictum.

Si non secundum legitimam 124 observationem divortium factum sit, donationes post tale divortium factæ, nullius momenti sunt: cum non videatur solum matrimonium.

*Si res exstat, si non reddatur. 1. Si sponsus alienum annulum, & post nuptias pro eo suum dedit.*

36. PAULUS lib. 36. ad Edictum.

Si donata res exstant, etiam vindicari 125 poterunt; sed quia causam possidendi donatio præstitit, nisi reddatur res, æstimatione facienda est iusto pretio: caverique possidenti debet de evictione simpli, quanti ea res sit; idque etiam Pedio videtur. §. 1. Sponsus alienum annulum sponsæ muneri misit, & post nuptias pro 126 eo suum dedit: quidam, & Nerva putant, fieri cum mulieris: quia tunc factam donationem confirmare videtur, non novam inchoare: quam sententiam veram esse accipi.

*Si res dolo donatoris non exstat.*

37. JULIANUS lib. 17. Digestorum.

Si mulier dolo fecerit, ne res exstaret sibi a marito donata; vel ad exhibendum, vel damni injuriæ 127 cum ea agi poterit; maxime si post divortium id commiserit.

*De re communi.*

38. ALFENUS lib. 3. Digestorum (a Paulo epitomatorum.)

Servus communis viri, & fratris ejus, puerum donavit uxori fratris: pro qua parte is servus, qui donasset, viri esset, pro ea parte munus non esse factum mulieris respondit. §. 1. Idem juris erit, si ex tribus fratribus unus uxorem haberet, & rem communem uxori donasset; nam ex tertia parte mulieris res facta non est: ex duabus autem partibus reliquis, si id scissent fratres, aut, posteaquam donata esset, ratum habuissent, non debere mulierem reddere.

*De delegatione.*

39. JULIANUS lib. 5. ex Minicio.

Vir uxori pecuniam cum donare vellet, permittit 128 ei, ut a debitore suo stipuletur: illa cum id fecisset, priusquam pecuniam auferret, divortium fecit: quæro, utrum vir eam summam petere debeat: an ea promissione propter donationis causam actio nulla esset? Respondi, inanem fuisse (eam) stipulationem. † Sed si promissor mulieri ignorans solvisset, si quidem pecunia exstat, vindicare eam debitor potest: sed, si actiones suas marito præstare paratus est, doli mali exceptione se tuebitur: ideoque maritus hanc pecuniam, debitoris nomine vindicando, consequetur. † Sed si pecunia non exstat, & mulier locupletior facta est, maritus eam petet; intelligitur enim ex re mariti locupletior facta esse mulier; quoniam debitor doli mali exceptione se tueri potest.

*De dignitate adipiscenda.*

40. ULPIANUS lib. 2. Responsorum.

Quod adipiscendæ dignitatis 129 gratia ab uxore in maritum collatum est: eatenus ratum est, quatenus dignitati supplendæ opus est.

41. LICINNIUS RUFINUS lib. 6. Regularum.

Nam & Imperator Antoninus constituit, ut ad processus viri uxor ei donare possit.

42. GAJUS lib. 11. ad Edictum provinciale.

Nuper, ex indulgentia principis Antonini, recepta est alia causa donationis, quam dicimus *honoris 130 causa*: ut ecce, si uxor viro laticlavii petendi gratia donet, vel ut equestris ordinis fiat, vel ludorum gratia.

*De exilio.*

43. PAULUS lib. singul. Regularum.

Inter virum, & uxorem, exilii 131 causa, donatio fieri potest.

*De usucapione.*

44. NERATIUS lib. 5. Membranarum.

Si extraneus rem viri, ignorans ejus esse, ignorantem uxori, ac ne viro quidem sciente, eam suam esse, donaverit: mulier recte eam (usu) capiet. † Idemque juris erit, si is, qui in potestate viri erat, credens se patremfamilias esse, uxori patris dona-

(124. v. l. 9. infr. de divort. (125. l. 5. in fin. sup. h. t. (126. Fac. l. 58. in pr. infr. eod. (127. l. 27. §. 30. sup. ad leg. Aquil. l. 2. C. rer. amot. (128. l. 3. §. 12. sup. h. t. (129. v. l. 42. infr. eod. (130. l. 40. & 41. sup. l. 21. C. eod. (131. Adde l. 13. §. 1. sup. eod.



verit. † Sed si vir rescierit suam rem esse, priusquam usucapiatur, vindicareque eam poterit, nec volet, & hoc & mulier noverit: interrumpetur possessio: quia transit in causam ab eo facta donationis ipsius mulieris scientia; propius est, ut nullum acquisitioni domini ejus adferat impedimentum: non enim omnimodo uxores ex bonis virorum, sed ex causa donationis ab ipsis facta, acquirere prohibita sunt.

*De detractioe.*

45. ULPIANUS lib. 17. ad Edictum.

Marcellus lib. VII. Digestorum scribit, etiam cum detrudere 132 sine mulieris damno, & citra metum Senatusconsulti, quod detrahentibus negotiationis causa occurrit.

*De possessione.*

46. IDEM lib. 72. ad Edictum.

Inter virum, & uxorem nec possessionis 133 ulla donatio est.

*De impensis a marito.*

47. CELSUS lib. 1. Digestorum.

Utrum negotium uxoris gerens, an officio mariti ductus, in rem ejus impenderit vir, facti, non juris est quaestio. Conjectura ejus rei, ex modo, & ex genere impensa, non difficilis est.

*De vindicatione rei donatae.*

48. IDEM lib. 9. Digestorum.

Quae jam nuptae maritus donavit, viri manent: & potest ea vindicare: nec quicquam refert, quod ampla legata ab uxore ei relicta sunt.

*De re filio donata.*

49. MARCELLUS lib. 7. Digestorum.

Sulpitius Marcello: mulier, quae ad communem filium volebar, qui in potestate patris erat, post mortem patris fundum pervenire, cum patri tradidit, uti post mortem restituatur filio. Quae, an donatio tibi videatur, ut nihil agatur? an valeat quidem, sed mulieri potestas datur, si noluerit, eum repetere? Respondit: si color, vel titulus (ut sic dixerim) donationi quaesitus est, nihil valebit traditio: id est, si hoc exigit uxor, ut aliquid ex ea re interim commodi sentiret maritus; alioquin si solo ejus ministerio usa est; & id egit, ut vel revocare sibi liceret, vel ut res cum (omni) emolumento per patrem postea ad filium transfret; cur non idem perinde sit ratum, ac si cum extraneo tale negotium contraxisset, hoc est, extraneo in hanc causam tradidisset?

*De nummis donatis, ut venditori solvantur.*

50. JAVOLENUS lib. 13. Epistolarum.

Si, cum mulier viginti servum emisset 134, in eam emtionem vir quiaque venditori dedit: divortio facto, omnimodo vir eam summam exigit. Neque ad rem pertinet, an is servus deterior factus sit: nam, & si mortuus esset, quinque exactio ei competet. Quae enim, an mulier ex viri patrimonio locupletior 135 sit eo tempore, quo de dote agebatur? facta autem intelligitur, quae a re alieno suo, interventu viri, liberata est: quod potuisset adhuc debere, si vir pecuniam non solvisset: neque enim interest, ex qua causa mulier pecuniam debuit; utrum creditam, an eam, quam ex emtione praestare debeat. §. 1. Quod si mulier non emerit servum, sed, ut emerit, a viro pecuniam accepit: tum vel mortuo, vel deteriore facto servo, damnum ad virum pertinebit: quia, quod aliter emtura non fuit, nisi pecuniam a viro accepisset, hoc consumtum ei perit, qui donavit: si modo in rerum natura esse desit: nec videtur mulier locupletior esse, quae neque a creditore suo liberata est, neque id possidet, quod ex pecunia viri emerit.

*De eo, quod mulier adquisivit.*

51. POMPONIVS lib. 5. ad Quintum Mucium.

Quintus Mucius ait: cum in controversiam venit, unde ad mulierem quid pervenerit: & verius, & honestius est, quod non demonstratur, unde habeat, existimari 136 a viro, aut qui in potestate ejus esset, ad eam pervenisse. Evitandi autem turpis quaestus gratia circa uxorem hoc videtur Quintus Mucius probasse.

*De re vilis locata. De aestimatione rei depositae.*

*1. De promissione heredis.*

52. PAPINIANUS lib. 10. Quaestionum.

Si vir uxori, donationis causa, rem vilis locaverit 137, locatio nulla est: cum autem depositum inter eas personas minoris,

donationis causa, aestimatur, depositum est. Hac ideo tam varie, quia locatio quidem sine 138 mercede certa contrahi non potest: depositum autem & citra aestimationem quoque dari potest. §. 1. Uxor viro fructum fundi ab herede suo dari, quod si datus non fuisset, certam pecuniam mortis causa promitti curavit: defuncto viro viva muliere, stipulatio solvitur; ut traditio, quae mandante uxore, mortis causa, facta est; nam quo casu inter externos conditio nascitur, inter maritos nihil agitur.

*De genero, vel nuru, vel socero. 1. De usu rei.*

53. IDEM lib. 4. Responforum.

Mortis suae causa genero, vel nurui focerum frustra donare convenit: quia, mortuo focero, nuptiae non solvuntur: nec interest, an pater filium, vel filiam exheredaverit. Divortii species, eadem ratione, diversa est. §. 1. Res in dotem aestimatas, consentiente viro, mulier in usu habuit: usu deteriores si fiant, damni compensatio non admittitur; easdem res non potest mulier sibi, quasi donatas, defendere ex illis verbis, quibus donationes ei a viro legatae sunt: cum ejusmodi species neque donari, neque auferri videtur.

*De usuris dotis, quas vir non exegit.*

54. IDEM lib. 8. Responforum.

Vir usuras promissa dotis in stipulatum deduxerat, easque non petierat: cum per omne tempus matrimonii, sumtibus suis, uxorem, & ejus familiam vir exhiberet, dote praelegata, (sed) & donationibus verbis fideicommissi confirmatis, legato quidem dotis usuras non contineri videbatur: sed titulo donationis remissas.

*De re emta ex pecunia donata.*

55. PAULUS lib. 6. Quaestionum.

Uxor marito suo pecuniam donavit: maritus ex pecunia sibi donata, aut mobilem, aut soli rem comparavit: solvendo non est, & res exstant: quae, si mulier revocet donationem, an utiliter condititia experiatur: videtur enim maritus, quamvis solvendo non sit, ex donatione locupletior effectus: cum pecunia mulieris res comparata exstet? Respondi, locupletiores esse ex donatione, negari non potest: non enim quaerimus, quid deducto a re alieno liberum habeat, sed quid ex re mulieris possideat: solo enim separatur hic ab eo, cui res donata est, quod ibi res mulieris permanet, & vindicare 139 directo potest; & erit deterior causa viri, si ei pecunia, quatenus res valet, non ultra 140 id tamen, quod donatum est, condicatur: quam si dotis judicio conveniatur; sed nihil prohibet etiam in rem utilem mulieri in ipsas res accommodare.

*Si mortis causa donatarius rem uxori dari jubeat.*

56. SCÆVOLA lib. 3. Quaestionum.

Si, quod mihi mortis causa donare vellet, ego pure uxori donare vellem: non valet, quod uxori jubeo 141 dari: quia, illo convalescente, conditione teneor: mortuo autem nihilominus pauperior sum; non enim habeo, quod habiturus essem.

*De eo, quod uxori donatum est, ut, si per eam divortium fiat, reddatur.*

57. PAULUS lib. 7. Responforum.

Ea, quae a marito suo pecuniam ex causa donationis acceperat literas ad eum misit hujusmodi: Cum petenti mihi a te, Domine carissime, adnerit indulgentia tua viginti ad expediendas quasdam res meas, quae summa mihi numerata est sub ea conditione, (ut) si per me, meosque mores quid steterit, quo minus in diem vitae nostrae matrimonium permaneat; si vero, invito te, discessero de domo tua, vel repudium tibi sine ulla querela misero, divortiumque factum per me probabitur: tunc viginti, quae mihi hac die donationis causa dare voluisti, daturam, restitutam me sine ulla dilatione spondeo: Quae, (an), si eadem Titio marito suo repudium miserit, pecuniam restituere debeat? Paulus respondit, pecuniam, quam vir uxori donavit, ex stipulatione proposita, si conditio ejus exstiterit, peti posse: quoniam ex donatione in pecuniam creditam conversa est; quod si stipulatio commissa non probetur, tunc tantum peti posse, quanto locupletior ex ea donatione facta probetur.

Si res donatae tempore concubitus, post nuptias aliis acceptis reddantur. 1. De cibariis. 2. Si filius pecunia matris emerit, & instrumenta suo nomine confecerit.

58. SCÆVOLA lib. 2. Responforum.

Si praedia, & mancipia Sejae data, effecta sint ejus tempore concubitus, ac postea tempore matrimonii aliis 142 acceptis red-

(132. l. 64. infr. eod. l. 43. v. 1. infr. de legat. 1. (133. Vide tamen l. 1. §. 4. infr. de acquir. vel retinend. possess. (134. l. 7. §. 7. supr. h. t. (135. l. 5. in fin. supr. l. 8. C. eod. l. 20. C. de jure dot. (136. l. 6. in fin. C. h. t. (137. Adde l. 5. §. 5. supr. h. t.

(138. l. 23. in pr. supr. commun. divid. (139. v. l. 5. in fin. supr. h. t. (140. l. 28. §. 3. supra, eod. (141. l. 3. in fin. supr. eod. (142. Fac. l. 36. §. 2. supr. eod.

data sunt: quid juris est? Respondit, secundum ea, quæ proponerentur, negotium potius gestum videri, quam donationem intervenisse. §. 1. Item, cum quæreretur de cibariis 143 mancipiorum: Respondit, tempore quidem concubinitus, data cibaria repeti non possunt: sed nec tempore matrimonii, si ea mancipia uxoris in communi usu fuerint. §. 2. Filius rebus matris intervenire solitus, pecunia matris, consentiente ipsa, mancipia & res mercatus, emtionum instrumenta suo nomine confecit; decessit in patris potestate: quæsitum est, an mater cum marito suo experiri, & qua actione uti possit? Respondit, si mater obligatum filium in ea pecunia voluit esse, intra annum, quam filius decessit, de peculio cum patre, in cuius 144 potestate fuisse proponatur, actionem habere: si donavit, repeti posse, quanto locupletior ex ea donatione pater factus est.

*Si vir donet, ut in dotem accipiat.*

59. PAULUS lib. 2. Sententiarum.

**S**i quis uxori ea conditione donavit, ut, quod donavit, in dotem accipiat: defuncto eo, donatio convalescit 145

*De vitrico, & privigno. 1. De divortio.*

60. HERMOGENIANUS lib. 2. Juris epitomarum.

**V**itricus & privignus, invicem sibi donare prætexit matrimonii non prohibentur. §. 1. Divortii 146 causa donationes inter virum, & uxorem concessæ sunt: sæpe enim evenit, uti propter sacerdotium, vel etiam sterilitatem,

61. GAJUS lib. 11. ad Edictum provinciale.

**V**el senectutem 147, aut valetudinem 148, aut militiam satis commode retineri matrimonium non possit.

62. HERMOGENIANUS lib. 2. Juris epitomarum.

**E**t ideo bona gratia 149 matrimonium dissolvitur. §. 1. Divortio facto, nec instaurato matrimonio non confirmabitur inter virum, & uxorem facta donatio: nec inter patronum, & libertam. Si ab eo invito divertere non licet, facta donatio separatur, cum inter hos divortium intercedat: perinde enim id, quod donatum est, habetur divortio intercedente, ac si donatum non fuisset.

*De tigno juncto.*

63. PAULUS lib. 5. ad Neratium.

**D**e eo, quod uxoris in ædificium viri ita coniunctum est, ut detractum 150 alicuius usus esse possit, dicendum est agi posse, quia nulla actio est ex Lege duodecim Tabularum: quamvis Decemviros non sit credibile de his sensit, quorum voluntate res eorum in alienum ædificium conjunctæ essent. Paulus notat: sed in hoc solum agi potest, ut (sola) vindictio soluta re competat mulieri, non in duplum, ex Lege duodecim Tabularum: neque enim furtivum est, quod sciente domino inclusum est.

*De divortio.*

64. JAVOLENUS lib. 6. ex Posterioribus Labeonis.

**V**ir mulieri, divortio facto, quædam idcirco dederat, ut ad se reverteretur; mulier reversa erat, deinde divortium fecerat. (Labeo:) Trebatius inter Terentiam, & Decenatem respondit, si verum divortium fuisset, ratam esse donationem; si simulatum, contra. Sed verum est, quod Proculus, & Cæcilius putant, tunc verum esse divortium, & valere donationem divortii causa (factam), si aliæ nuptiæ insecutæ sunt: aut tam longo tempore vidua fuisset, ut dubium non foret, alterum esse matrimonium: alias nec donationem ullius esse momenti futuram.

*De nupta nondum viripotente.*

65. LABEO lib. 6. Posteriorum a Javoleno Epitomatorum.

**Q**uod vir ei, quæ nondum 151 viripotens nupserit, donaverit, ratum futurum existimo.

*De domum deductione, & tabularum dotis consignatione. 1. Si in hortos, ante diem tertium, quam nuptiæ ibi fierent, deducta, nuptiarum die donaverit.*

66. SCÆVOLA lib. 9. Digestorum.

**S**eja Sempronio, cum certa die nuptura esset, antequam domum deduceretur, tabulæque dotis signarentur, donavit tot aureos: quæro, an ea donatio rata sit? non attinuisse tempus an, antequam domum deduceretur, donatio facta esset, aut tabularum consignatarum, quæ plerumque & post contractum matrimonium fierent, in quærendo exprimi: itaque nisi ante matrimonium contractum, quod consensu intelligitur, donatio facta esset, non valere.

§. 1. Virgini in hortos deductæ ante diem tertium, quam ibi nuptiæ fierent, cum in separata diæta ab eo esset, die 152 nuptiarum, priusquam ad eum transfret, & priusquam aqua & igni acciperetur, (id est, nuptiæ celebrentur,) obtulit decem aureos dono: quæsitum est, post nuptias contractas divortio facto, (an) summa donata repeti possit? Respondit, id, quod ante nuptias donatum proponeretur, non posse (de dote) deduci.

*De re emta ex nummis donatis, & donatori donata.*

67. LABEO lib. 2. Pithanon a Paulo

Epitomatorum.

**S**i uxor nummis a viro, aut ab eo, qui in ejus potestate esset, sibi donatis servum emerit 153: deinde, cum ejus factus fuerit, eum ipsum donationis causa viro tradiderit: rata erit traditio: quamvis ea mente facta fuerit, qua ceteræ donationes; neque ulla actio ejus nomine dari potest.

## TIT. II.

### DE DIVORTIIS, ET REPUDIIS. 1.

*Quibus modis matrimonium solvitur.*

1. PAULUS lib. 35. ad Edictum.

**D**irimitur matrimonium divortio, morte 2, captivitate 3, vel alia 4 contingente servitute utrius eorum.

*Etymologia divortii. 1. Verba divortii. 2. Vel repudii. 3. De presentia, vel absentia ejus, cui renunciatur.*

2. GAJUS lib. 11. ad Edictum provinciale.

**D**ivortium autem, vel a diversitate mentium dictum est: vel quia in diversas 5 partes eunt, qui distrahunt matrimonium.

§. 1. In repudiis autem, id est, renunciatione, comprobata sunt hæc verba: *tuas res tibi habeto*; Item hæc, *tuas res tibi agito*.

§. 2. In sponsalibus quoque discutiendis placuit renunciationem 6 intervenire oportere. In qua re hæc verba probata sunt: *condicione tua non utor*. §. 3. Sive autem ipsi præsentem renuncietur, sive absenti per eum, qui in potestate ejus sit, cujusve is 7 cave in potestate sit, nihil interest.

*Quod sit verum divortium.*

3. PAULUS lib. 35. ad Edictum.

**D**ivortium non est, nisi verum, quod animo perpetuam constituendi dissensionem fit. † Itaque quidquid in calore 8 iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quam (si) perseverantia apparuit iudicium animi fuisse: ideoque per calorem missæ repudio, si brevi 9 reversa uxor est, nec divortisse videtur.

*De furiosa.*

4. ULPIANUS lib. 26. ad Sabinum.

**J**ulianus lib. XVIII. Digestorum quærit, an furiosa repudium mittere, vel repudiari possit? Et scribit, furiosam repudiari posse: quia ignorantis loco habetur: repudiare autem non posse, neque ipsam propter dementiam, neque curatorem ejus; patrem 10 tamen (ejus) nuntium mittere posse, quod non tractaret de repudio, nisi constaret, retineri 11 matrimonium. Quæ sententia mihi videtur vera.

*Si filia in fraudem patris divertat.*

5. IDEM lib. 34. ad Edictum.

**S**i filia emancipata idcirco diverterat, ut maritum lucro dotis adficiat, patrem fraudet, qui profectitiam dotem potuit petere, si constante matrimonio decessisset: (&) ideo patri succurrendum est, ne dotem perdat, non enim minus patri, quam marito succurrere Prætorum oportet. Danda igitur est ei dotis exactio, atque si constante matrimonio decessisset filia.

*De captivitate.*

6. JULIANUS lib. 62. Digestorum.

**U**xores eorum, qui in hostium potestate pervenerunt, possunt videri nuptiarum loco retinere eo solo, quod alii temere nubere non possunt. Et generaliter definiendum est, donec 12 certum est maritum vivere in captivitate constitutum, nullam habere

(152.l.27.supr.eod. (153.l.7.5.3.supr.eod.

TIT. II. (1.Lib.5.C.17.Nov.117.c.7.& sequent. (2.Nov.22.c.20.in pr. (3.l.56.infr.solut.matrim.l.12.5.4.infr.de captiv.& postlim.reversis. v. tamen Nov.22.c.7.Nov.Leon.33. (4.d.Nov.12.c.9. (5.l.191.infr.de verb.sign. (6.l.1.C.de sponsalib. (7.l.10.supr.d.t. (8.l.48.infra.de reg.iur. (9.l.33.supr.de nupt. (10.l.22.5.9.infr.solut.matrim. (11.l.8.in pr. supr.de his, qui sui vel alien.jur.l.16. 5.ult.supr.de ritu nupt.l.22.5.7.infr.solut.matrim. (12.Nov.22.c.7.

(143.l.21.in fin.supr.eod. (144.v.l.19.supr.eod. (145.l.2.C.de dote caut. (146.l.11.5.ult.supr.h.t. (147.Hoc abrogat.Nov.117.c.12.in fin. (148.l.10.C.de repud.Nov.22.c.6. Nov.117.c.12. (149.Hoc abrogat. Nov.117.c.10.fed.reduct.Nov.140. (150.Adde L.45.supr.h.t. (151.l.32.5.27.supr.eod.

licentiam uxores eorum migrare ad aliud matrimonium: nisi malent ipsa mulieres causam repudii præstare. Sin autem in incerto est, an vivus apud hostes teneatur, vel morte præventus: tunc, si quinquennium a tempore captivitatis excefferit, licentiam habet mulier ad alias migrare nuptias: ita tamen, ut bona gratia dissolutum videatur pristinum matrimonium: & unusquisque suum jus habeat imminutum. Eodem jure & in in marito civitate degente, & uxore captiva observando.

*De pœnitentia.*

7. PAPINIANUS lib. 1. de Adulteriis.

Si pœnituit 13 eum, qui libellum tradendum divortii dedit, isque per ignorantiam mutata voluntatis oblatus est: durare matrimonium dicendum; nisi, pœnitentia cognita, is, qui accepit, ipse voluit matrimonium dissolvere: tunc enim per eum, qui accepit, solvitur matrimonium.

*De eo, qui alienam uxorem duxit, deinde repudium misit.*

8. IDEM lib. 2. de Adulteriis.

Divus Hadrianus eum, qui alienam uxorem ex itinere domum suam duxisset, & inde marito ejus repudium misisset, in triennium relegavit.

*De testibus divortii.*

9. PAULUS lib. 2. de Adulteriis.

Nullum divortium ratum est, nisi septem civibus Romanis puberibus adhibitis, præter libertum ejus, qui divortium faciet. † Libertum accipiemus etiam eum, qui a patre, avo, proavo, & ceteris fursum versum manumissus sit.

*De liberta.*

10. MODESTINUS lib. 1. Regularum.

Patrono invito 14 liberta, quam in matrimonio habuit, ab eo discedere non potest: nisi ex causa fideicommissi 15 manumissa sit; tunc enim potest, licet ejus sit liberta.

11. ULPIANUS lib. 3. ad Legem Juliam, & Papiam.

Quod ait Lex 16, divortii faciendi potestas liberta, qua nupta est patrono, ne 17 esto: non infectum videtur effecisse divortium, quod jure civili dissolvere solet matrimonium. Quare (constare) matrimonium dicere non possumus, cum sit separatum. Denique scribit Julianus, de dote hanc actionem non habere. Merito igitur quamdiu patronus ejus eam uxorem suam esse vult, cum nullo alio connubium ei est: nam, quia intellexit legislator, facto liberta quasi diremto matrimonio, detraxit 18 ei cum alio connubium. Quare cuicumque nupsit, pro non nupta habebitur. Julianus quidem amplius putat, nec in concubinato eam alterius 19 patroni esse posse. §. 1. Ait Lex: quamdiu 20 patronus eam uxorem esse volet. Et velle debet uxorem esse, & patronus durare. † Si igitur aut patronus esse, aut velle desierit, finita est Legis auctoritas. §. 2. Illud rectissime placuit: qualiqui voluntate intelligi possit patronus animum habere desisse quasi in uxorem, finiri Legis hujus beneficium. † Proinde cum patronus rerum amotarum cum liberta, qua ab invito eo divorterat, vellet experiri, Imperator noster cum Divo Patre suo rescriptis, intelligi eum hoc ipso nolle nuptam sibi, qui eam actionem, vel aliam importet, qua non solet nisi ex divortio oriri. Quare si accusare eam adulterii cœperit, vel alio crimine postulare, quod uxori nemo objicit, magis est, ut diremto sit matrimonium. Etenim meminisse oportet, ideo adimi cum alio connubium, quia patronus sibi nuptam cupit. † Ubi cumque igitur vel tenuis intellectus videri potest nolit nuptam, dicendum est, jam incipere liberta cum alio esse connubium. Proinde si patronus sibi desponderit aliam, vel destinaverit, vel matrimonium alterius appetierit, credendus est nolle hanc nuptam. Et si concubinam sibi adhibuerit, idem erit probandum. 21

TIT. III.

SOLUTO I MATRIMONIO DOS QUEMADMODUM PETATUR.

*Favor dotis.*

1. POMPONIUS lib. 15. ad Sabinum.

Dotium causa semper & ubique præcipua est: nam & publice 2 interest, dotes mulieribus conservari: cum dotatas esse fe-

(13. l. 3. supr. h. t. (14. l. un. in fin. infr. unde vir. & uxor. (15. l. 50. supra. de ritu nupt. (16. l. un. §. 1. infr. unde vir. & uxor. (17. l. 10. supr. h. t. (18. l. 1. C. de incest. & inutil. nupt. Nov. 22. c. 37. (19. Immo vide l. 1. in pr. infr. de concubin. (20. l. 5. in pr. supr. de ritu nupt. (21. arg. l. un. C. de concubin.

TIT. III. (1. Lib. 5. C. 18. Nov. Leon. 110. adde Nov. Just. 91. 97. 98. 103.

minas ad sobolem 3 procreandam, replendamque liberis civitatem, maxime sit necessarium.

*Cui dos a marito promitti, vel reddi debet. 2. Consensus filia quomodo accipitur.*

2. ULPIANUS lib. 35. ad Sabinum.

Solutio matrimonio, solvi mulieri dos debet; nec cogitur maritus alii eam ab initio stipulanti promittere: nisi hoc ei nihil nocet; nam si incommodum aliquod maritus suspectum habet, non debere eum cogi alii, quam uxori promittere: dicendum est. Hæc, si sui juris mulier est. §. 1. Quod si in patris potestate est, & dos ab eo profecta sit: ipsius & filia dos est: Denique pater non aliter, quam 4 ex voluntate filia petere dotem, nec per se, nec per procuratorem potest. Sic ergo & promittendum Sabinus ait: ei ergo promittendum erit, cui uterque jusserit. Ceterum, si pater solus jussit, dotis actio filia non erit adempta, quandoque sui juris filia fuerit facta. Item, si voluntate solius filia promittatur, remanebit dotis actio integra parti. † Sed utrum ut (&) agat solus, an (&) ut, adjuncta quoque filia persona, experiri possit? Et puto, nec eam actionem amissam 5, quam, adjuncta filia persona, potest habere: quod si sui juris fuerit facta filia, nocebit ei ista stipulatio. §. 2. Voluntatem autem filia, cum pater agit de dote, utrum sic accipimus, ut consentiat: an vero, ne contradicat filia? Et est ab Imperatore Antonino rescriptum, filiam, nisi evidenter contradicat, videri consentire patri. Et Julianus lib. XLVIII. Digestorum scripsit, quasi ex voluntate filia videri experiri patrem, si furiosam filiam habeat. Nam ubi non potest per dementiam contradicere, consentire quis eam merito credit. Sed si absens filia sit, dicendum erit, non ex voluntate ejus id factum: cavendumque, ratam rem filiam habituram, a patre; ubi enim sapit, scire eam exigimus, ut videatur non contradicere.

*De exactione, & solutione dotis profectitia.*

3. PAULUS lib. 7. ad Sabinum.

Non solum autem in exigenda, sed etiam in solvenda dote, qua communis est patris, & filia, utriusque voluntas exquiritur: nec alter alterius deteriorem conditionem facere potest. Sed si pecunia ad patrem pervenit, quam filia accepit, actio de dote utriusque tollitur.

*De dote a patre exacta, & secundo viro data.*

4. POMPONIUS lib. 15. ad Sabinum.

Si pater sine consensu filia dotem a viro exegisset, & eandem alii viro ejus filia nomine dedisset, (&) mortuo patre, filia cum priore viro ageret: doli mali exceptione repellitur.

*De computatione annorum, & divisione fructuum.*

5. ULPIANUS lib. 30. ad Sabinum.

De divisione anni ejus, quo divortium factum est, quaeritur, ex die matrimonii, an ex die traditi (marito) fundi maritus sibi computet tempus? Et utique in fructibus a viro retinendis, neque dies dotis constituta, neque nuptiarum observabitur: sed quo primum dotale prædium constitutum est, id est, tradita possessione.

6. PAULUS lib. 7. ad Sabinum.

Si ante nuptias fundus traditus est, ex die nuptiarum ad eundem diem sequentis anni computandus annus est. Idem in ceteris annis servatur, donec divortium fiat; nam si ante nuptias traditus sit, & fructus inde percepti 6: hi restituendi sunt, quandoque divortio facto, quasi dotis facti.

*De impensis a muliere, vel a marito factis. 1. De divisione fructuum ultimi anni. 4. De fructibus a muliere perceptis antequam nuberet. 5. De donationibus, de rebus amotis. 6. Cujus temporis fructus dividuntur. 9. De fructibus pecorum. 10. De operis servorum. 11. De pensionibus prædiorum urbanorum. 12. De arboribus, de thesauro. 13. De lapidicinis. 14. De fodinis. 15. De retentione, vel restitutione fructuum, & de cautione. 16. De impensis a marito factis.*

7. ULPIANUS lib. 31. ad Sabinum.

Fructus (eos) esse constat, qui deducta 7 impensa supererunt; quod Scævola & ad mariti, & ad mulieris impensas refert. Nam si mulier pridie vindemias doti dedit, mox, sublatis a marito vindemiis, divortit: non putat ei undecim dumtaxat mensium fructus restitui: sed & impensas, quæ, antequam portiones fructuum fiant, deducenda sunt. † Igitur, si & maritus aliquid impendit

(2. l. 2. supr. de jure dot. (3. l. 8. §. 3. infr. de bon. damnator. (4. v. l. 34. infr. h. t. l. 1. §. 1. supra. de pactis dot. lib. (5. Vide tamen l. 7. supra. d. tit. (6. l. 38. §. 12. supra. de usuris. (7. l. 46. supra. d. l. 1. C. de fruct. & lit. expens.

in eundem annum, utriusque impensa concurrent: ita & si impensarum a muliere factarum ratio habeatur, cum plurimis annis in matrimonio fuit, necesse est primi anni computari tempus, quod sit ante datum prædium. §. 1. Papinianus (autem) lib. xi. Quæstionum, divortio facto fructus dividi ait, non ex die locationis, sed habita & ratione præcedentis temporis, quo mulier in matrimonio fuit. Neque enim si vindemiæ tempore fundus in dotem datus sit, eumque vir ex Kalendis Novembribus primis fructum locaverit, mensis Januarii suprema die facto divortio, retinere virum & vindemiæ fructus, & ejus anni, quo divortium factum est, quartam partem mercedis, æquum est; alioquin si, coactis vindemiis, altera die divortium intercedat, fructus integros retinebit. Itaque si sine mensis Januarii divortium fiat, & quatuor mensibus matrimonium steterit, vindemiæ fructus, & quarta portio mercedis instantis anni confundi debent: ut ex ea pecunia, tertia portio viro relinquatur. §. 2. E contrario quoque idem observandum est; (nam) si mulier, percepta vindemia, statim fundum viro in dotem dederit, & vir ex Kalendis Martiis eundem locaverit, & Kalendis Aprilibus primis divortium fuerit secutum: non solum partem duodecimam mercedis, sed pro modo temporis omnium mensium, quo dotale prædium fuit, ex mercede, quæ debebitur, portionem retinebit. §. 3. Item si messes ejus anni, quo divortium factum est, colonum ex forma locationis sequantur: ante vindemiam soluto matrimonio, nihilominus pecunia messium in computationem cum spe futura vindemiæ veniet. §. 4. Apparet igitur ex his, illos fructus, quos mulier percepit, antequam nuberet, non debere in contributionem venire. §. 5. Ob donationes, item ob res amotas, ex his fructibus, qui post divortium percepti sunt, compensationes fieri possunt. §. 6. Quod in anno dicitur, potest dici & in sex mensibus, si bis in anno fructus capientur: ut est in locis irriguis. §. 7. Et in pluribus annis idem dici potest: ut in silva cædua. §. 8. Item si locatio agri talis sit, ut super annuam mercedem quinquennio quoque aliquid amplius præstaretur; in eo enim, quod amplius est, tempus ad quinquennium computamus. §. 9. Non solum autem de fundo, sed etiam de pecore, idem dicemus, ut lana ovium, foetusque pecorum præstaretur. Quare enim, si maritus prope partum oves doti acceperit, item proximas tonsuræ, post partum & tonsas oves, protinus divortio facto, nihil reddat: nam & hic fructus toto tempore, quo curantur, non quo percipiuntur, rationem accipere debemus. §. 10. In servo quoque anni ratio habetur, si in annum forte operæ ejus locata sunt: (ut) præteriti temporis ad maritum, post divortium autem ad mulierem operæ pertineant. §. 11. De pensionibus 10 quoque prædiorum urbanorum idem est, quod in fructibus rusticorum. §. 12. Si fundum viro uxor in dotem dederit, isque inde arbores deciderit: si hæc fructus intelliguntur, pro portione anni debent restitui. Puto autem si arbores cæduæ fuerunt, vel gremiales, dici oportet, in fructu cedere: si minus, quasi deteriorem fundum fecerit maritus, tenebitur. Sed & si vi tempestatis ceciderunt: dici oportet, pretium earum restituendum mulieri, nec in fructum cedere; non magis, quam si thesaurus fuerit inventus; in fructum enim non computabitur: sed pars ejus dimidia restituatur, quasi in alieno inventi. §. 13. Si vir in fundo mulieris dotali lapidicinas marmoreas invenerit 11, & fundum fructuosorem fecerit: marmor, quod casum, neque exportatum, est mariti: & impensa non est ei præstanda 12: quia nec in fructu est marmor, nisi tale sit, ut lapis ibi renascatur; quales sunt in Gallia: sunt & in Asia. §. 14. Sed si cretifodinæ, argentifodinæ, vel auri, vel cujus alterius materiæ sint, vel arenæ: utique in fructu habebuntur. 13 §. 15. Interdum marito de fructibus a muliere cavetur 14, & nihil retinet, si fructibus stantibus fundum mulier recipiet; interdum retinebit tantum maritus, & nihil restituet: id est, si non plus erit, quam pro portione eum retinere oportet: interdum vero (&) reddet, si plus percepit, quam eum retinere oportet. † Eadem conditio erit, etiam si cum socero, vel cum herede alterutrius, de dote agatur. §. 16. Impendi autem fructuum percipiendorum 15 (causa) Pomponius ait, quod in arando, serendoque agro impensum est: quodque in tutelam ædificiorum, agrumve servum curandum; scilicet, si ex ædificio, vel servo fructus aliqui percipiebantur. Sed hæc impensa non petentur, cum maritus fructum totum anni retinet; quia ex fructibus prius im-

pensis satisfaciendum est. Plane si novam villam necessario exstruxit, vel veterem totam sine culpa sua collapsam restituerit, erit ejus impensa petitio. Simili modo & si pastina instituit; hæc enim impensa aut in res necessarias, aut utiles cedunt, pariaturque marito actionem.

*De lapidicinis. 1. De impensis in sementem.*

8. PAULUS lib. 7. ad Sabinum.

Si fundus in dotem datus sit, in quo lapis cæditur, lapidicinarum commodum ad maritum pertinere constat, quia palam fit, eo animo dedisse mulierem fundum, ut iste fructus ad maritum pertineat: nisi si contrariam voluntatem in dote danda declaraverit mulier. §. 1. Quod in sementem erogatur, si non responderint messes, ex vindemia deducetur: quia totius anni unus fructus est.

*De mora mulieris in dote recipienda.*

9. POMPONIUS lib. 14. ad Sabinum.

Si mora per mulierem fuit, quo minus dotem reciperet, dolum malum dumtaxat in ea re, non etiam culpam maritus præstare debet; ne facta mulieris in perpetuum, agrum ejus colere cogatur: fructus 16 tamen, qui pervenissent ad virum, redduntur.

*De muliere apud hostes defuncta. 1. Si vir uxorem occiderit, vel contra.*

10. IDEM lib. 15. ad Sabinum.

Si ab hostibus capta filia, quæ nupta erat, & dotem a patre profectam habebat, ibi decesserit: puto dicendum, perinde observanda omnia, ac si nupta decessisset: ut, etiam si in potestate non fuerit patris, dos ab eo profecta reverti ad eum debeat. §. 1. Si vir uxorem suam occiderit, dotis actionem heredibus uxoris dandam esse, Proculus ait; & recte, non enim æquum est, virum ob facinus suum dotem (sperare) lucrifacere. Idemque & e contrario statuendum est.

*De re aliena in dotem data.*

11. IDEM lib. 16. ad Sabinum.

Si alienam rem sciens mulier in dotem dederit, reddenda ei est, quasi suam dedisset: & fructus (quoque) pro 17 portione anni, quo divortium factum est.

*Quatenus condemnatur maritus, vel hujus heres, vel successor.*

12. ULPIANUS lib. 36. ad Sabinum.

Maritum 18 in id, quod facere potest, condemnari, exploratum est; sed hoc heredi 19 non esse præstandum:

13. PAULUS lib. 7. ad Sabinum.

Quia tale beneficium personale 20 est, & cum persona extinguitur.

*De pacto, Ut maritus in solidum damnetur.*

14. ULPIANUS lib. 36. ad Sabinum.

Alia causa est defensoris 21: quem placet sufficienter videri defendisse, si tantum uxori præstet, quantum consequeretur, si ipsum maritum convenisset. §. 1. Eleganter quærit Pomponius lib. xv. ex Sabino: si paciscatur maritus, ne in id, quod facere possit, condemnatur, sed in solidum, an hoc pactum servandum sit? Et negat servari oportere: quod quidem, & mihi videtur verum; namque contra bonos 22 mores id pactum esse, melius est dicere: quippe cum contra receptam reverentiam, quæ maritis exhibenda est: id esse apparet.

*Quo tempore spectatur, an maritus facere possit. 1. Quæ compensationes profunt heredi mariti. 2. Quatenus socer damnatur.*

15. PAULUS lib. 7. ad Sabinum.

Rei judicata 23 tempus spectatur, quatenus maritus facere potest. §. 1. Heredi mariti, licet in solidum condemnatur, compensationes 24 tamen, quæ ad pecuniariam causam respiciunt, proderunt, ut hoc minus sit obligatus: veluti ob res donatas, & amotas, & impensas: morum vero coercionem non habet. §. 2. Socero 25 quoque, eum quo nurus de dote agit, idem honor habetur, (ut) in id damnatur, quod facere potest:

16. POMPONIUS lib. 16. ad Sabinum.

Quia parentis locum socer obtinet.

(8. l. un. §. 9. C. de rei ux. act. (9. Vide tamen l. un. §. 5. C. de rei uxoria action. (10. l. 29. supr. de hered. petit. l. 38. §. 13. supr. de usur. (11. Adde l. ult. in pr. supr. de fundo dotali. (12. Obft. d. l. ult. in fin. pr. (13. l. 9. §. 2. supr. de usufr. (14. l. 55. infr. h. t. (15. v. l. 1. in fin. infr. de impens. in res dotal.

(16. l. 38. §. 1. supr. de usur. (17. l. 7. §. 1. supr. h. t. l. un. §. 9. C. de rei ux. act. (18. l. 20. infr. de re judic. (19. l. 24. in fin. infr. d. t. vide tamen l. 18. in pr. infr. h. t. (20. l. 7. in pr. infr. de except. (21. l. 23. infr. de re judic. (22. v. l. 6. C. de pact. (23. l. 53. infr. h. t. (24. l. 24. §. pen. infr. eod. vide tamen l. un. §. 5. C. de rei ux. act. (25. l. 53. infr. h. t. l. 21. infr. de re judic.

1. *Quatenus mulier damnatur. 2. De marito condemnato in solidum.*

17. PAULUS lib. 7. ad Sabinum.

Ex diverso si focer ex promissione a marito conveniatur, solet quaeri, an idem ei honor habendus sit? Neratius 26 libris membranarum & Proculus scribunt, hoc justum 27 esse. §. 1. Item si mulier ex promissione conveniatur: magis placuit, defendendam eam per exceptionem; idem & Proculus ait; sicuti, cum socia fuit, dabitur ei exceptio, quamvis jure civili sit obligata. §. 2. Si in judicio dotis iudex, ignorantia juris lapsus, condemnaverit maritum in solidum, Neratius, Sabinus, doli exceptione cum uti oportere, ajunt: eaque tutum fore.

*Quatenus condemnantur filii communes. 1. De dolo, & culpa mariti.*

18. POMPONIUS lib. 16. ad Sabinum.

Etiam filios mulieris, qui patri heredes exstiterunt 28, in id, quod facere possunt, condemnandos Labeo ait. §. 1. Licet in dotalibus rebus non solum dolum 29, sed & culpam maritus praestet; cum tamen quaeritur in judicio de dote, an facere possit, dolum dumtaxat comprehenditur: quia in rerum ipsius administratione non erat ab eo culpa exigenda. Quamquam eum dumtaxat dolum ei nocere putem, si facere non possit, quem propter uxorem adhibuit, ne ei solidum solveret; non propter quemlibet alium. Ofilius autem aiebat, si dolo mariti res dotalis interisset, & alioquin solvendo non esset: quamvis nihil dolo fecisset, quo minus solvendo esset, perinde tamen eum damnandum ejus rei dotalis nomine, in qua dolum fecisset, atque si dolo ejus factum esset, quo minus facere possit. † Ceterum, si circa interitum rei dotalis dolus malus, & culpa mariti absit: actiones solas, quas eo nomine quasi maritus habet, praestandas mulieri: veluti furti, vel damni injuriæ.

*De redintegratione matrimonii.*

19. ULPIANUS lib. 36. ad Sabinum.

Si mulier diverterit, & judicio de dote contestato reversa fuerit in matrimonium: redintegrato matrimonio exspirat judicium, & omnia in statu pristino manent.

*Quibus ex causis dos redditur constante matrimonio.*

20. PAULUS lib. 7. ad Sabinum.

Quamvis mulier non in hoc accipiat constante matrimonio dotem, ut *as 30 alienum solvat, aut praedia idonea emat 31*: sed ut liberis ex alio viro egentibus, aut fratribus 32, aut parentibus consulere, vel ut eos ex hostibus redimeret; quia justa, & honesta causa est, non videtur male accipere: & ideo recte ei solvitur. Idque & in filiafamilias observatur.

21. ULPIANUS lib. 3. Disputationum.

Sed & si ideo maritus ex dote expendit, ut a latronibus redimeret necessarias mulieri personas, vel ut mulier vinculis vindicaret de necessariis suis aliquem: reputatur ei id, quod expensum est; si pars dotis sit, pro ea parte; si tota dos sit, actio dotis evanescit. Et multo magis idem dicendum est, si focer agat de dote, debere rationem haberi ejus, quod in ipsum impensum est: si ipse maritus hoc fecit, si filia, ut faciat, dedit. Sed & si non pater experiretur, sed post mortem ejus filia sola de dote ageret, idem erit dicendum: cum enim doli exceptio insit de dote actioni, ut (in) ceteris bonæ fidei judiciis: potest dici (ut & Celso videtur) inesse hunc sumtum actioni de dote; maxime, si ex voluntate filia factus sit.

*De pacto dantis dotem. 1. De dote soluta filiafamilias. 2. De novatione. 3. De absentia filia. 7. De furore conjugum. 10. De furore, 11. Vel captivitate patris. 12. Qui tenentur actione de dote. 13. De dote opinata.*

22. IDEM lib. 33. ad Edictum.

Si cum dotem daret pater, vel extraneus pro muliere in unum casum pepigit, vel in divortium, vel in mortem: dicendum est, in eum casum, in quem non pepigit, esse mulieri actionem.

§. 1. Si post solum matrimonium filiafamilias, citra patris voluntatem, exactam communem dotem consumat: patri, & viva ea, & mortua, actio superest, ut dos ipsi solvatur. Quod ita verum est, si *perditura* solvatur: ceterum, si *non perdita*, & ex justis causis soluta sit, non supererit actio; sed mortuo patre, nec etiam heredes agent, nec mulier. §. 2. Si mulier, soluto matrimonio, egentem reum dotis per novationem decepta accipiat, nihilominus

actio dotis ei manebit. §. 3. Si pater, filia absente, de dote egerit, etsi omissa sit de rato satisfactio, filia denegari debet actio: si patri heres exstiterit, si in legato 33 tantum acceperit, quantum dotis satis esset; & ita Julianus pluribus locis scribit, compensandum ei in dotem, quod a patre datur; lucroque eius cedit, si tantum ab eo consecuta sit, quantum ei dotis nomine debeatur a marito, qui patri solvit. §. 4. Si patri, propter condemnationem, Romæ, ubi dos petatur, esse non liceat, filia satis dotis fieri oportet: ita tamen, ut caveat *ratam rem patrem habiturum*,

§. 5. Eo autem tempore consentire filiam patri oportet, quo lis contestatur. Secundum hæc, si filia dicat, se patri consentire, & ante litis contestationem mutaverit voluntatem, vel etiam emancipata sit, frustra pater agat. §. 6. Necnon illud quoque probamus, quod Labeo probat: nonnunquam patri denegandam actionem, si tam turpis persona patris sit, ut verendum sit, ne acceptam dotem consumat. Ideoque officium judicis interponendum est, quatenus & filia, & patri competenter consulatur. Sed si latitet filia, ne tali patri consentire cogatur, puto, dari quidem patri actionem, sed causa cognita. Quid enim, si filia verecunde per absentiam patri condicat, cur non dicamus, patri non esse dandam actionem? Quod si is pater sit, cui omnimodo consentire filiam decet, hoc est, vitæ probata; filia levis mulier, vel admodum juvenis, vel nimia circa maritum non merentem: dicendum est, patri potius adquietescere prætorum oportere, dareque ei actionem. §. 7. Si maritus vel uxor, constante matrimonio, furere cœperint, quid faciendum sit, tractemus. Et illud quidem dubio procul observatur, eam personam, quæ furore detenta est, quia sensum non habet, nuntium mittere non posse. † An autem illa repudianda est, considerandum est. Et, si quidem intervallum furor habeat, vel perpetuus quidem morbus est, tamen ferendus his, qui circa eam sunt, tunc nullo 34 modo oportet dirimi matrimonium: sciente ea persona, quæ cum compos mentis esset, (&) ita furenti, quemadmodum diximus, nuntium miserit, culpa sua nuptias esse diremtas.

Quid enim tam humanum est, quam, ut fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri, participem esse? \* Sin autem tantus furor est, ita ferox, ita perniciosus, ut sanitatis nulla spes superfit, circa ministros terribilis; & forsitan altera persona velit vel propter sævitiam furoris, vel, quia liberos non habet, procreandæ sobolis cupidine tenta est dirimere: licentia erit compoti mentis personæ, furenti nuntium mittere, ut nullius culpa videatur esse matrimonium dissolutum: neque in damnum alterutra pars incidat. §. 8. Sin autem, in sævissimo furore muliere constituta, maritus dirimere quidem matrimonium calliditate non vult, spernit autem infelicitatem uxoris, & non ad eam flectitur, nullamque ei competentem curam inferre manifestissimus est; sed abutitur dotem: tunc licentiam habeat vel curator furiosæ, vel cognati, adire judicem competentem: quatenus necessitas imponatur marito, omnem talem mulieris sustentationem sufferre, & alimenta præstare, & medicinæ ejus succurrere, & nihil prætermitti, quæ maritum uxori adferre decet, secundum dotis quantitatem. Sin vero dotem ita dissipaturus ita manifestus est, ut non hominem frugi oportet: tunc dotem sequestrari, quatenus ex ea mulier competens habeat solatium una cum sua familia: partibus videlicet dotalibus, quæ inter eos ab initio nuptiarum inita fuerint, in suo statu durantibus, & alterius expectantibus sanitatem, aut mortis eventum. §. 9. Item pater furiosæ utiliter intendere, *sibi filiave suæ reddi dotem*, potest: quamvis enim furiosa nuntium mittere non possit, patrem 35 tamen ejus posse certum est. §. 10. Si soluto matrimonio pater furiosus sit, curator ejus voluntate filia, dotem petere poterit: aut, si curatoris copia non sit, agere filia permittendum erit, caverique oportebit de rato. §. 11. Idem decernendum est, & si ab hostibus captus sit pater, puellæ dandam actionem de dote repetenda. §. 12. Transgrediamur nunc ad hunc articulum, ut quaeramus, *adversus quos competit de dote actio?* Et adversus ipsum maritum competere, palam est: si ipsi dos data sit, si vel alii ex voluntate 36 mariti, vel subiecto juri ejus, vel non subiecto. † Sed si filiafamilias sit maritus, & dos 37 focero data sit, adversus focerum agatur. Plane si filio data sit, si quidem jussu foceri, adhuc absolute focer tenebitur: quod si filio data sit non 38 jussu patris, Sabinus, & Cassius responderunt, nihilominus cum patre agi oportere: videri enim ad eum pervenisse dotem, penes

(26. Immo vide d.l. 21. in fin. (27. Immo vide l. pen. supr. de jure dot. d.l. 21. l. 22. in pr. infr. de re judic. (28. v. l. 12. supr. h. t. (29. l. 17. in pr. supr. de jure dot. (30. l. ult. in fin. supr. d. t. (31. l. 73. §. 1. supr. d. t. (32. d. l. 73. in fin.

(33. l. 34. §. 5. infr. de legat. 2. (34. l. 8. in pr. supr. de his qui sui, vel alien. jur. l. 16. in fin. supr. de ritu nupt. l. 4. supr. de divort. (35. d. l. 4. (36. l. 19. supr. de jure dot. v. l. 11. §. 5. supr. de pignorat. act. l. 4. C. de solut. (37. l. 10. C. h. l. (38. d. 25. in pr. infr. eod.

quem est peculium; sufficit autem ad id damnari eum, quod est in peculio, vel si quid in rem patris versum est. Sin autem socero dotem dederit, cum marito non poterit experiri, nisi patri heres extiterit. §. 13. Si mulier in conditione mariti erraverit, puraveritque esse liberum, cum servus esset 39, concedi oportet quasi privilegium in bonis viri mulieri; videlicet ut, si sint & alii creditores, hæc præferatur circa de peculio actionem; & si forte domino aliquid debeat servus, non præferatur mulier, nisi in his tantum rebus, quæ vel in dote data sunt, vel ex dote 40 comparata; quasi & hæc dotales sint.

23. PAULUS lib. 36. ad Edictum.

**E**t si quid in eam dotem impensum est, nec a muliere reddetur: per doli mali exceptionem servabitur.

*De inope marito. 1. De marito exheredato a patre. 2. De dote restituenda, vel satisfactione præstanda. 3. De tempore dotis solvendæ. 4. De servo dotali manumisso. 5. De sævitia in servos dotales. 6. Si uxor viri rem commodaverit. 7. De publicatione bonorum mulieris.*

24. ULPIANUS lib. 33. ad Edictum.

**S**i, constante matrimonio 41, propter inopiam mariti mulier agere volet, unde exactionem dotis initium accipere ponamus? Et constat, exinde dotis exactionem competere, ex quo evidentiissime apparuerit mariti facultates ad dotis exactionem non sufficere. §. 1. Si, exheredato marito, mulier agat, magis est, ut ex die aditæ patris hereditatis incipiat ei dotis exactio.

§. 2. Quoties mulieri satisfidandum est de solutione dotis post certum tempus, si maritus satisfidare non possit, tunc, deducto commodo temporis, condemnatio residui repræsentatur; sed si, cum maritus satisfidare possit, nollet, in solidum eum condemnandum Mela ait, non habita ratione commodi temporis. Judicis igitur officio convenit, ut aut satisfidatione interposita absolvat maritum, aut habita ratione compensationis eum condemnet; quod quidem hodie magis usurpatur, nec ferenda est mulier, si dicat, magis se velle dilationem pati, quam in repræsentatione deductionem. §. 3. Sive autem mariti, sive uxoris periculo dos fuit, nihilominus legitimo tempore debet solvere maritus. §. 4. Si vir voluntate mulieris servos dotales manumiserit 42, si quidem donare ei mulier voluit, nec de libertatis causa impositis ei præstandis tenebitur: quod si 43 negotium inter eos gestum est, utique tenebitur, ut officio judicis caveat 44, *restituendum se mulieri, quidquid ad eum ex bonis liberti, vel ex obligatione pervenisset.* §. 5. Si maritus servus in servos dotales fuit, videndum, an de hoc possit conveniri? Et, si quidem tantum in servos uxoris servus fuit, constat eum teneri hoc nomine: si vero & in suos est natura talis, adhuc dicendum est, immoderatam ejus sævitiam hoc judicio coercendam: quamvis enim diligentiam uxor eam demum ab eo exigat, quam rebus suis exhibet, nec plus possit: attamen sævitia, quæ in propriis culpanda est, in alienis coercenda est, (hoc est, in dotalibus). §. 6. Si uxor viri rem commodaverit, eaque perierit; videndum, an compensationem hoc nomine pati possit? Et puto, si quidem prohibuit eam maritus commodare, statim deductionem fieri: si vero non prohibuit eam commodare, arbitrio judicis modicum tempus ei indulgeri cautionem præbenti. §. 7. Si bona mulieris pro parte sint publicata, superest mulieri reliquæ partis dotis exactio. Plus puto, & si post litem contestatam publicata sit pro parte dos, sufficet arbitrium judicis ad partis condemnationem faciendam. Quod si tota dos publicata sit, expirabit iudicium.

*De peculio. 1. De dolo, & culpa. 2. De deterioratione.*

*3. De servis, qui in fuga sunt. 4. De locatione.*

25. PAULUS lib. 36. ad Edictum.

**S**i filiofamilias dos data sit injussu 45 patris, de peculio quidem agatur; sed sive propter impensas a filiofamilias factas, sive propter res donatas a filio, vel amotas ab uxore res peculiare; hoc ipso, quod habet actionem pater ex persona filii, majus peculium sit, & sic totum est præstandum mulieri, quod est in peculio: quia adhuc sit, quod uxori debeat. §. 1. Maritum, in reddenda dote, *de dolo malo* 46, & *culpa* cavere oportet, quod si dolo malo fecerit, quominus restituere possit, damnandum eum, *quantum mulier in litem juraverit*: quia \* invitis nobis, res nostras alius retinere non debeat. §. 2. Si post divortium res dotales de-

teriores factæ sint, & vir in reddenda dote moram fecerit: omnimodo detrimentum ipse præstabit. §. 3. Si quis dotalium servorum in fuga erunt, cavere debet maritus, *se eos viri boni arbitratu persecuturum, & restitutum.* §. 4. Si vir in quinquennium locaverit fundum, & post primum forte annum divortium intervenerit: Sabinus ait, non alias fundum mulieri reddi oportere, quam (si) caverit 47, *si quid præter unius anni locationem maritus damnatus sit, id a se præstatum iri*: sed & mulieri cavendum, *quidquid præter primum annum ex locatione vir consecutus fuerit, se ei restituendum.*

*De rei interitu post moram.*

26. IDEM lib. 37. ad Edictum.

**S**emel mora facta, si servum dotalem postea offerente marito, mulier accipere noluerit, & ita is decesserit, non debet pretium ejus maritus, vel heres ejus: ne damnum sentiat, quod postea, offerente eo, mulier accipere noluit.

*De herede mulieris.*

27. GAJUS lib. 11. ad Edictum provinciale.

**S**i post divortium mortua muliere, heres ejus cum viro, parente ejus agat; eadem videntur de restituenda dote intervenire, quæ ipsa muliere agente, observari solent.

*De eo, quod maritus potest consequi a muliere.*

28. ULPIANUS lib. 1. Institutionum.

**F**acere posse maritus etiam id videtur, quod a muliere consequi potest: scilicet si jam ei aliquid absit, quod pro muliere (aliquid) expendit, vel mandato ejus præstitit: ceterum, si nondum ei abest, utputa sub conditione est obligatus, nondum videtur facere posse.

*Cui dos profectitia, 1. Vel adventitia reddi debet.*

29. IDEM lib. 3. Disputationum.

**Q**uotiens pater dotem dat, & stipulatur, ita demum in suam perfonam de dote actionem transfert, si ex continenti stipuletur: ceterum, si interposito tempore stipulari velit, non nisi consentiente 48 filia poterit, quamvis in potestate sit: quia deterio-rem 49 conditionem in dote filix facere non potest, nisi consentiat. Plane si ante nuptias dotem dederit, poterit ex intervallo, ante nuptias tamen, & citra voluntatem (quoque) filix stipulari.

§. 1. Si quis pro muliere dotem dederit, conveneritque 50, *ut quoquo modo, diremto matrimonio, ipsi solveretur*: postea maritus uxori dotem solverit: rectissime dicetur, exactionem nihilominus ei, qui dedit, contra maritum competere.

*De ea, quæ secundo nupsit. 1. Si mulier debitori dotis successerit.*

30. JULIANUS lib. 16. Digestorum.

**N**upta non impeditur quominus cum priore marito de dote experiat. §. 1. Quoties culpa viri accidit, ne dos a socero, aut a quolibet alio, qui mulieris nomine promiserat, exigetur: si aut in matrimonio filia decesserit, aut materfamilias facta eum, qui dotem repromiserat, heredem instituerit: satis constat, nihil amplius virum præstare debere, quam ut eos obligatione liberet.

*De publicatione bonorum mariti. 1. De pacto patris, ne a se petatur. 2. De morte patris, qui procuratorem dedit. 3.*

*Si coheredes mariti solverint partem dotis.*

*4. De fructibus.*

31. IDEM lib. 18. Digestorum.

**S**i marito, publico judicio damnato, pars aliqua bonorum ejus publicetur, fiscus 51 creditoribus ejus satisfacere necesse habet, inter quos uxor quoque est. §. 1. Si pater cum ducenta filix suæ nomine dotis gratia promississet, pactus fuerit, *ne amplius quam centum a se peterentur*, & soluto matrimonio egerit: centum, de quibus convenit, ne peterentur, nec intelliguntur dotis esse. Quod si, mortuo patre, cum herede ejus maritus agere cœperit, ista quoque pecunia in dote erit. §. 2. Si voluntate filix procurator a patre datus, litem de dote contestatus fuerit, & re secundum eum judicata, pater decesserit; iudicati actionem filix potius, quam heredibus patris, dari oportebit. §. 3. Cum patri dos data esset, & ei filius ex aliqua parte heres sub conditione institutus fuerit, & pendente conditione, coheredes ejus dotem pro sua portione mulieri solverint: hoc minus filius ex dote præstare debet, quoniam nullam actionem ejus pecuniæ recuperandæ gratia adversus coheredes habet. §. 4. Si fundum dotalem re-

(39. l. 3. C. eod. (40. l. 54. supr. de jure dot. (41. Nov. 97. c. 6. (42. l. 62. infr. h. t. l. 7. in fin. supr. de donat. inter vir., & uxor. (43. l. 64. infr. h. t. (44. Adde l. 23. supr. de act. emt. (45. l. 22. §. 12. supr. l. 53. infr. h. t. (46. l. 17. in pr. supr. de jure dot.

(47. l. 55. infr. h. t. (48. l. 7. supr. de pact. dotal. (49. l. 25. supr. de jure dot. (50. l. 43. §. 1. vers. plane, supr. d. t. (51. l. 2. C. h. t.

cepisset mulier, non habita ratione fructuum pro portione anni, quo nupta non fuisset, nihilominus de dote agere potest: quia minorem dotem recepisset. Hoc enim ad dotis augmentum pertinet: quemadmodum si partum & ancillarum non recepisset, aut legata, vel hereditates, quæ post divortium per servos dotales adquisitæ marito fuissent.

*Si prior maritus posteriori dotem promiserit.*

32. IDEM lib. 2. ad Ursejum Ferocem.

Si prior maritus posteriori dotis nomine tamquam debitor mulieris dotem promiserit: non plus, quam (id quod) facere possit, dotis futurum esse.

*Si maritus uxori successerit.*

33. AFRICANUS lib. 7. Quæstionum.

Quæ dotis nomine certam pecuniam promiserat, quosdam adhibuerat, qui stipularentur partem dotis distracto matrimonio, sibi solvi; ea nulla data dote obierat, eodem marito suo herede relicto: is damnosam hereditatem ejus adierat; nihilominus stipulatoribus tenebitur: quoniam adeundo hereditatem debitoris, intelligeretur secum pensasse. Nec ad rem pertinere, quod solvendo non esset hereditas: quando ceteris etiam creditoribus teneatur.

*Utrum dos reddenda sit patri, vel filia.*

34. IDEM lib. 8. Quæstionum.

Titia divortium a Sejo fecit; hanc Titius in sua potestate esse dicit, & dotem sibi reddi postulat: ipsa se matremfamilias dicit, & de dote agere vult: Quæsitum est, quæ partes judicis sint? Respondi, patri, nisi probet filiam non solum in sua potestate esse, sed etiam consentire sibi, denegandam actionem: sicut denegaretur, etiamsi constaret eam in potestate esse.

*De liberta.*

35. MARCIANUS lib. 10. Institutionum.

Liberta, quæ voluntate patroni discessit, de dote cum eo agere potest, quam ei dedit.

*De publicatione dotis.*

36. PAULUS lib. 2. de adulteriis.

Si maritus minus facere potest, & dos publicata sit: in id, quod facere potest, fisco maritus condemnandus est: ne in perniciem mariti mulier punita sit.

*Si filia non habet causam contradicendi patri.*

37. ULPIANUS (lib. 2. Responsorum.)

Dotem voluntate filia videri patrem recepisse, cum causam contradicendi ei filia non haberet: maxime cum ab eo postea ampliore summa dotata sit.

*De muliere divertente, & de sponsalibus postea contractis.*

38. MARCELLUS lib. singul. Responf.

Lucius Titius, cum esset filiusfamilias, voluntate patris uxorem Mæviam duxit, & dotem pater accepit; Mæviam Titio repudium misit: postea pater repudiati, absente filio, sponsalia cum ea de nomine filii sui fecit: Mæviam deinde repudium sponsalibus misit, atque ita alii nupsit: Quæro, si Mæviam aget cum Lucio Titio quondam marito, & a patre herede relicto de dote, & probetur, culpa mulieris, matrimonium dissolutum: an possit maritus propter culpam mulieris, dotem retinere? Marcellus respondit, etiamsi ut heres institutus a patre, Titius conveniretur, tamen, si sponsalibus non consensisset, culpam mulieris multandam esse.

*De compensatione delictorum.*

39. PAPINIANUS lib. 11. Quæstionum.

Viro, atque uxore mores invicem accusantibus, causam repudii dedisse utrumque, pronunciatum est: Id ita accipi debet, ut ea lege, quam ambo contemserunt, neuter vindicetur: patris enim delicta mutua pensatione dissolvuntur.

*De patre repetente dotem.*

40. IDEM lib. 28. Quæstionum.

Post dotem datam, & nuptias contractas stipulatus est pater, filia voluntate, divortio facta dotem dari: si conditio stipulationis impleatur, & postea filia sine liberis decesserit: non erit impediendus pater, quo minus ex stipulatu agat: viva autem filia, si agere vult, exceptione summovendus erit.

*De dote post divortium numerata.*

41. IDEM lib. 37. Quæstionum.

Si pater ignorans filiam divortisse, dotem ex causa promissionis numeravit: non per indebiti condictionem, sed de dote actione pecunia petetur.

*De patre condemnato. 1. De fructibus, & sumptibus. 2. De usuris. 3. De extraneo repetente dotem, & de redintegratione matrimonii.*

42. IDEM lib. 4. Responsorum.

In insulam patre deportato, qui dotem pro filia dedit, actio dotis ad filiam pertinet. Post divortium quoque patre damnato, qui idem consentiente filia non petierat, æque dotis actio mulieris est. §. 1. Fructus ex prædiis, quæ in dotem data videbantur, bona fide perceptos, & mulieris oneribus ante causam liberalem absumtos, quamvis servam fuisse postea constiterit, peti non posse placuit. Summus vero necessarios, & utiles in prædia, quæ dotalia videbantur, factos, compensatis fructibus perceptis, ad finem superflui servari convenit. §. 2. Usuras numeratæ dotis ex stipulatu pater, in matrimonio defuncta filia, si petat, gener, qui residuæ dotis promissæ fœnus stipulatus est, ita demum, ad finem vice mutua debitæ quantitatis, compensationem opponere juste videtur, si sibi propriis sumptibus uxorem suam exhibuit: alioquin, si patris sumptibus exhibita sit, inanis usurarum stipulatio compensationi non proderit. §. 3. Ad virum uxore post divortium reversa, iudicium acceptum ex stipulatione, quam extraneus, qui dotem dederit, stipulatus fuerit, non dissolvitur: nec officio iudicis absolutio continetur.

*De nominibus.*

43. SCÆVOLA lib. 2. Quæstionum.

Si maritus in id, quod facere potest condemnatus sit, & nomina sint ad dotis quantitatem, neque amplius, neque habebit mandare actiones.

*De morte soceri, quo vivo dos peti non poterat.*

44. PAULUS lib. (5.) Quæstionum.

Si focer a genero heres institutus adierit hereditatem, quandoque mortuo patre, cum herede ejus filiam de dote acturam, Nerva, & Cato responderunt: ut est relatum apud Sextum Pomponium (Digestorum) ab Aristone lib. v. ibidem Aristoni consensit. ego dicerem, & si emancipasset pater filiam, ipsum quoque conveniri posse. §. 1. Lucius Titius filia suæ nomine centum doti promisit Gajo Sejo; (&) inter Gajum Sejum, & Lucium Titium patrem mulieris convenit, ne dos a viro, vivo Lucio Titio (id est, patre mulieris), peteretur: postea culpa mariti divortio facto, solutum est matrimonium; & pater mulieris decedens alios heredes instituit, filia exheredata: Quæro, an ab heredibus soceri maritus exigere dotem potest, cum eam mulieri redditurus est? Respondi, cum filia, aliis a patre heredibus institutis, actionem de dote sua recuperanda habere cœperit, necesse habebit maritus, aut exactam dotem, aut actiones ei præstare, nec ullam exceptionem habebunt soceri heredes adversus eum: cum absurde dicitur, dolo videri eum facere, qui non ipsi, quem convenit, sed alii restitutus petat. Alioquin &, si post mortem patris divortisset, nondum exacta dote, excluderetur exactio dotis maritus: quod non est admittendum. Sed et si ex parte filia heres patri suo extiterit, debet maritus coheredes ejus pro parte virili exigere, & mulieri reddere, aut actiones ei præstare.

*De pacto, & stipulatione avi materni.*

45. IDEM lib. (6.) Quæstionum.

Gajus Sejus avus maternus Seje nepti, quæ erat in patris potestate, certam pecuniæ quantitatem, dotis nomine, Lucio Titio marito dedit, & instrumento dotali huiusmodi pactum, & stipulationem complexus est: Si inter Lucium Titium maritum, & Sejam divortium sine culpa mulieris factum esset, dos omnis Seje uxori, vel Gajo Sejo avo materno redderetur, restituereturque: Quæro, cum Sejus avus maternus statim vita defunctus sit, & Seja postea sine culpa sua divorterit, vivo patre suo, in cuius potestate est, an, & cui actio ex hoc pacto ex stipulatione competat: (&) utrum heredi avi materni ex stipulatu, an nepti? Respondi, in persona quidem neptis videri inutiliter stipulationem esse conceptam: quoniam avus maternus ei stipulatus proponitur, quod cum ita est, heredi stipulatoris, quandoque divorterit mulier, actio competere videretur. Sed dicendum est, Sejam posse dotem solvi, quamvis actio

(52. l. un. §. 49. C. de rei uxor. act. (53. l. 2. §. 1. sup. l. 2. C. h. t. (54. l. 34. §. 5. infr. de legat. 2. (55. v. l. 8. §. 4. C. de repud. (56. l. 47. infr. h. t. (57. l. 47. l. 28. C. de adult. l. ult. §. 3. sup. de eo, per quem fact.

(58. l. 69. §. 3. sup. de jure dot. l. 17. in pr. infr. de doli mali, & metus except. (59. l. 63. sup. de jure dot. (60. l. 6. in pr. infr. de doli mali, & met. except. (61. Fac. l. 26. C. de jure dot.

ei directo non competat, ac si sibi, aut illi dari avus stipulatus esset: sed permittendum est nepti ex hac avita conventionem, ne commodo dotis defraudetur, utilem actionem: favore enim nuptiarum, & maxime propter affectionem personarum, ad hoc decurrendum est.

*Si vir uxori legaverit, ne dotem petat.*

46. IDEM lib. (nono \* decimo \* Quaestionum.)

Qui dotem stipulanti uxori promiserat, eidem testamento quaedam legaverat: ita 62 tamen, ne dotem ab heredibus peteret: ea, quae legata erant, uxor capere non potuerat: Respondi, dotis actionem mulieri adversus heredes non esse denegandam.

*De lenocinio mariti.*

47. SCÆVOLA (lib. 19. Quaestionum).

Cum mulier viri lenocinio adulterata fuerit, nihil ex dote retinetur: Cur enim improbet 63 maritus mores 64, quos ipse aut ante corrupit, aut postea probavit? Si tamen ex mente Legis fumet quis, ut nec accusare possit, qui lenocinium uxori præbuerit: audiendus est.

*De dotis liberorum nomine retinenda.*

48. CALLISTRATUS lib. 2. Quaestionum.

Si dotali instrumento ita stipulatio interposita sit, ut liberorum nomine dos apud maritum resideat: nepotum 65 quoque nomine dos retinebitur.

*De nomine in dotem dato. 1. De evictione.*

49. PAULUS lib. 7. Responsorum.

Mævia marito suo, inter alias res dotis, etiam instrumentum solidorum decem tradidit, quo Otacilius eidem Mæviæ caverat, daturum se, cum nuptum ire cepisset, decem (millia): ex eo instrumento maritus nihil exegit, quia 66 nec potuit. Quaeritur est, si dos a marito petatur, an compellendus sit etiam illam summam, quae instrumento continetur, refundere? Respondi, potuisse quidem eum, cui actiones mandatae sunt, debitorem convenire: sed, si sine dolo malo, vel culpa exigere pecuniam non potuit, neque dotis nomine eum conveniri posse, neque mandati iudicio. §. 1. Fundus aestimatus in dotem datus, a creditore antecedente ex causa pignoris ablatus est: Quaeritur est, an mulier si aestimationem dotis repetat, exceptione summovenda sit: ait enim, se propterea non teneri, quod pater ejus dotem pro se dedit, cui heres non existerit: Paulus respondit, prædico evicto sine dolo, & culpa viri, pretium petenti mulieri doli mali exceptionem obesse: consequi enim eam pretium fundi evicti, evidens iniquitas est: cum dolus patris ipsi nocere debeat.

*De rebus aestimatis reddendis.*

50. SCÆVOLA lib. 1. (Responsorum.)

Aestimatis rebus in dotem datis pactum intercessit, ut, ex quaecumque causa dos reddi deberet, ipsae res restituerentur 67, habita ratione augmenti, & diminutionis, viri boni arbitrato: quae vero non exstarent, (ab initio) aestimatio earum: Quaeritur est, cum res quaedam, quas maritus vendiderat, exstarent, an secundum pactum & hæc ad mulierem pertinerent? Respondi, res, quae exstant, si neque volente 68, neque ratum habente muliere, venissent, perinde reddendas, atque si nulla aestimatio intervenisset.

*De interitu rei aestimatae.*

51. HERMOGENIANUS lib. 2. Juris

Epitomarum.

Aestimatae res, usu 69 etiam mulieris, periculo mariti deterioriores efficiuntur.

*Si maritus dotem solvit, quam non accepit.*

52. TRYPHONINUS lib. 7. Disputationum.

Maritus dotem, quam non accepit, post divortium per errorem solvit. Repetet 70: quia non numeratam caverat: exit enim ab eo non potuit.

*De dote data filiofam.*

53. IDEM lib. 2. Disputationum.

Si filiofamilias 71 dos data est, ipse quidem dotis actione tenetur: pater autem ejus de peculio. Nec interest, in peculio rem, vel pecuniam dotalem habeat, necne: sed quatenus facere potest, hic 72 quoque condemnandus est. Intelligitur autem peculio tenus facere posse, quod habet rei iudicandae tempore.

(62. l. un. §. 3. C. de rei uxor. act. (63. l. 39. supr. h. tit. l. 9. sup. de negot. gest. (64. d. l. 39. (65. arg. l. 220. in pr. infr. de verb. sign. (66. l. 41. §. 3. supr. de jure dot. (67. l. 21. C. d. tit. (68. l. ult. in pr. supr. de pact. dotal. (69. l. 10. in pr. l. 69. §. 8. supr. de jure dot. (70. v. l. 40. in pr. supr. de condit. indeb. (71. v. l. 25. in pr. supr. h. t. (72. l. 15. in fin. supr. 60d.

† Atquin, si cum patre agatur, deduceretur 73 ex peculio, quod patri, vel subjectis ei personis filius debet: at si cum ipso filio agatur, alterius debiti 74 non fiet detractio in computatione, quantum facere possit filius.

*De ære alieno.*

54. PAULUS (lib. singulari de Jure singulari.)

Maritus facere posse creditur nullo 75 deducto ære alieno; item socius, item patronus, parensve: at is, qui ex donatione 76 convenitur, omni ære alieno deducto, facere posse intelligitur.

*Si maritus ædium dotalium nomine caverit damni infecti.*

55. IDEM (lib. 5. ad Plautium.)

Cum mulier de dotis repetitione post solum matrimonium agit: cavere 77 debet marito, qui ædium nomine damni infecti cavit, si velit eam recipere, ut periculum mariti amoveat.

*De stipulatione, si nupta esse desierit, dotem reddi.*

56. IDEM (lib. 6. ad Plautium.)

Si quis sic stipuletur a marito, si quo casu Tulla tibi nupta esse desierit, dotem dabis? Hac generali commemoratione, & ab hostibus 78 capta ea committetur stipulatio: vel etiam si deportata 79 fuerit, vel ancilla effecta, hac enim conceptione 80 omnes hi casus continentur 81. Plane quantum veniat in stipulatione? utrum quasi mortua sit, an quasi divortium fecerit? Humanius quis id competere dixerit, quod propter mortem convenit.

*De usufructu.*

57. MARCELLUS lib. 7. Digestorum.

Usufructu 82 in dotem dato, si divortium intervenerit, nec proprietatis rei apud maritum, vel mulierem sit: eam dotis esse restitutionem, ut maritus caveat, quamdiu vixerit passurum se uti frui mulierem, heredemque ejus: quod an verum sit circa adjectionem heredis, dubito. Interest, quemadmodum sit usufructus in dotem datus. Si, cum haberet mulier fructum, viro, cujus erat proprietatis fundi, usufructum cessit; nihil mulier heredi suo relinquet: debebatur enim ei usufructus, qui ad heredem non solet transire. † Quod si fundi sui fructum mulier viro cessit, restitui is a viro debet: cum proprietate enim ad heredem ejus natransisset, si vir in reddendo eo non fecisset moram. Si vero aliena sit proprietatis, aut aliquis fundi sui, usufructum, mulieris jussu, viro ejus dederit in dotem: inspiciendum est primum, quemadmodum mulieri possit restitui: Potest autem vel cautionibus interpositis, ut sicut potest, vir jure suo cedat mulieri, fruique eam patiatur: vel, si se accommodavit dominus proprietatis, volente eo mulieri constituatur usufructus: nam aut fructum fundi ille mulieri poterit cedere, aut aliquid videlicet pro eo (ut inter eos actum fuerit) dare. Nam (&) finge, hoc ipsum mulierem posse proprietatis domino vendere: quo casu non inique, etiam mulieris herede agente, vir facere cogetur; quippe si moram non fecisset, pretium fructus mulier heredi suo reliquisset. Quod si facultatem usufructus vendendi proprietatis domino mulier non habuerit: patientiam, quam percipiendi fructus præstare ipsi debuit etiam heredi ejus præstat.

*De servo dotali herede instituto.*

58. MODESTINUS lib. singulari. de Eurenaticis.

Servus dotalis, heres ab aliquo institutus, mariti jussu vel adire vel repudiare debet hereditatem. Sed ne maritus aut facile repudiando, vel temere suscipiendo incognitam successionem, dotis iudicio uxori suae obligetur: consulendum est, mulierem coram testibus interrogari, utrum velit omittere, an acquirere hereditatem: & si repudiare se dixerit, facile mariti jussu repudiabit: quod si hereditatem agnoscere maluerit, reddendus est a marito servus uxori ea conditione, ut, cum jussu ejus adierit, rursus marito retradatur. Ita & mariti sollicitudini consulatur, & uxoris desiderio parebitur.

*Si filia in fraudem patris repudiatur.*

59. JULIANUS lib. 2. ad Ursejum Ferozem.

Filix mea emancipata, & agræ vir in hoc 83 repudium misit, ut 84 mortua ea, dotem potius heredibus ejus, quam mihi redderet: Sabinus dicebat, utile mihi ejus dotis recuperandae iudicium dandum esse: (Gajus idem.)

(73. l. 5. in fin. supr. de pecul. (74. l. 49. infr. de re judic. (75. d. l. 49. (76. l. 19. §. 1. infr. d. t. (77. l. 7. §. 15. l. 25. in fin. supr. h. t. (78. v. l. 1. supr. de divort. (79. Abrog. Nov. 22. c. 8. & 13. (80. l. 240. infr. de verb. sign. (81. Obst. l. 24. in fin. C. de donat. inter vir. & uxor. (82. l. 66. l. 73. supr. de jure dot. (83. v. l. 3. C. de repud. Nov. 22. c. 19. (84. l. 5. supr. de divort.



*De sumto funeris.*

60. PROCULUS lib. 5. Epistolarum.

Si filiafamilias nupta decesserit, & pater funus ei fecerit: tamen ei dotem post aliquot tempus gener reddere deberet, tamen continuo focer & agendo consequetur, ut impensam funeris presentem recipiat: cetera dotis statuto tempore solvantur.

*De manumissione servi dotalis.*

61. PAPINIANUS lib. 11. Quæstionum.

Dotalem servum vir invita uxore manumisit: Heres solus vir a liberto institutus, portionem hereditatis, quam ut patronus consequi potuit, ac debuit, restituere debet; alteram vero portionem, dotis iudicio: si modo uxor manumittenti refragatur.

62. ULPIANUS lib. 33. ad Edictum.

Quod si vir voluntate & mulieris servos dotales manumiserit, cum donare ei mulier voluit, nec de libertatis causa impositis ei præstandis tenebitur.

63. PAULUS lib. 2. ad Legem Juliam, &amp; Papiam.

Et definit servus in dote esse: quia cui manumittendi causa donare liceret, ei quodammodo donaret, quod permittere manumittere.

64. ULPIANUS lib. 7. ad Legem Juliam, &amp; Papiam.

Si vero & negotium gerens mulieris non invitæ, maritus dotalem servum voluntate ejus manumiserit: debet uxori restituere, quidquid ad eum pervenit. §. 1. Sed & si quid libertatis causa maritus ei imposuit, id uxori præstabit. §. 2. Plane si opera fuerint (a) marito exhibitæ, non æstimatio earum, non erit æquum hoc nomine uxori maritum quippiam præstare. §. 3. Sed si post manumissionem aliquid ei fuerit liberto impositum, id uxori præstandum est. §. 4. Sed & si reum maritus acceperit, adpromissoremve, æque adversus ipsum obligationem debet præstare.

§. 5. Item quicquid ad eum ex bonis liberti pervenerit, æque præstare cogetur, si & modo ad eum, quasi ad patronum pervenerit: ceterum, si alio jure, non cogetur præstare: nec enim beneficium, quod in eum libertus contulit, hoc uxori debet; sed id tantum, quod jure patronatus adsequitur, vel adsequi potuit. Plane si ex majore parte, quam debet, heres scriptus fuerit, quod amplius est, non præstabit: & si forte, cum ei nihil deberet libertus, heredem eum scripsit, nihil uxori restituet.

§. 6. Dabit autem (ut ait Lex) quod ad eum pervenit. † Pervenisse accipimus, sive jam exegit, sive exigere potest, quia actio ei delata est. §. 7. Adjicitur in Lege 89: *Ut & si dolo malo (aliquid) factum sit, quo minus ad eum perveniat, (teneatur.)*

§. 8. Si filium exheredaverit patronus, & ad eum bona liberti pertineant: videndum est, an heres hoc nomine teneatur? Et cum nihil neque ad ipsum (patronum), neque ad heredem ejus perveniat, quomodo fieri potest, ut hoc nomine teneatur?

§. 9. De viro, heredeque ejus Lex tantum loquitur: de focero, successoribusque foceri, nihil in Lege scriptum est. Et hoc Labeo quasi omissam adnotat. In quibus igitur casibus Lex deficit, non erit nec utilis actio danda. §. 10. Quod ait Lex, *quanta pecunia erit, tantam pecuniam dato*: ostendit, æstimationem hereditatis, vel bonorum liberti, non ipsam hereditatem voluisse Legem præstare, nisi maritus ipsas res tradere maluerit: & hoc enim benignius admitti debet.

65. SCÆVOLA (lib. singul. Quæstionum publice tractatarum.)

Hæc actio, etiam constante matrimonio, mulieri competit.

(85. l. 30. in fin. supr. de religios. (86. l. 24. §. 4. supr. l. 63. infr. h. tit. (87. d. l. 34. §. 4. in fin. (88. Adde l. 59. in fin. infr. ad SC. Trebell. (89. l. 14. in fin. infr. ad leg. Corn. de fals.

*De dolo, & culpa mariti.* 1. De vestimentis comparatis servo uxoris ex viri pecunia. 2. Si, parte dotis patri soluta, is decesserit. 3. De partu ancilla æstimate. 4. Si maritus plus promiserit per errorem. 5. Si mulier, post mortem secundi, ad priorem virum redierit. 6. De acceptilatione. 7. De muliere succedente promissori dotis.

66. JAVOLENUS lib. 6. ex Posterioribus Labeonis.

In his rebus, quas præter numeratam pecuniam doti vir habet, dolum malum, & culpam & eum præstare oportere, Servius ait: Ea sententia Publii Mucii est: nam is in Licinnia Gracchi uxore statuit, quod res dotales in ea seditione, qua Gracchus occisus erat, perissent: (ait,) quia Gracchi culpa ea seditio facta esset, Licinnia præstari oportere. §. 1. Servis uxoris vir nummos in vestiarius dederat; quo parato, deinde intra annum divortium intercesserat: Placuit Labeoni, Trebatio, qualia vestimenta post divortium essent, talia viro reddi. † Idem juris futurum fuisset, si ipsa vestimenta vir emisisset, & servis dedisset. Quod si vestimenta non redderentur, tum virum pretium in dote compensaturum & 1. §. 2. Filiafamilias, divortio facto, dotem patri reddi, jusserat; deinde, parte dotis persoluta, pater decesserat: reliquam partem, si nec delegata, nec promissa novandi animo patri fuisset, mulieri solvi debere, Labeo, Trebatius, putant: Idque verum est. §. 3. Mancipia in dote æstimate & 2 accepisti: pactum conventum deinde factum est, ut, divortio facto, tantidem æstimate redderes; nec de partu dotalium ancillarum mentio facta est: manebit, inquit Labeo, partus tuus & 3: quia is pro periculo mancipiorum penes te esse deberet. §. 4. Mulier, quæ centum dotis apud virum habebat, divortio facto ducenta a viro errante stipulata erat: Labeo putat, quanta dos fuisset, tantam deberi: & 4 sive prudens mulier plus esset stipulata, sive imprudens. Labeonis sententiam probo. §. 5. Uxor divortio facto partem dotis receperat, partem apud virum reliquerat: deinde alii & 5 nupserat: (&) iterum vidua facta, ad priorem virum redierat, cui centum (decem) doti dederat, neque ejus pecuniæ, quæ reliqua ex prior dote erat, mentionem fecerat: Divortio facto reliquum ex prior dote iisdem diebus virum redditurum, ait Labeo, quibus reddidisset, si superius divortium inter eos factum non esset: quoniam prioris dotis causam in sequentem dotis obligationem esset translata: Et hoc verum puto. §. 6. Si vir focero, injussu & 6 uxoris, manente matrimonio, dotem acceptam fecisset: etiamsi id propter egestatem foceri factum esset, viri tamen periculum futurum & 7 ait Labeo: Et hoc verum est. §. 7. Si quis pro muliere dotem viro promisit, deinde, herede & 8 muliere relicta, decesserit: qua ex parte mulier ei heres esset, pro ea parte, dotis periculum, quod viri fuisset, ad mulierem pertinere, ait Labeo: quia nec melius æquius esset, quod exigere vir ab uxore non potuisset, ob id ex detrimento viri mulierem locupletari: Et hoc verum puto.

*De peculio servi dotalis.*

67. POMPONIUS lib. 20. Epistolarum.

In partem dotis reddendæ erit id, quod mulieri ex peculio servi restitui debet; & ideo & dolum, & & 9 culpam in eo peculio vel acquirendo, vel conservando maritus præstare debet: & fructus ex eo percepti, quomodo cujuslibet rei dotalis, ad maritum & 10 pertinebunt.

(90. l. 17. in pr. supr. de jure dot. (91. Hoc mutat. L. un. §. 5. C. de rei ux. act. (92. l. 18. supr. de jure dot. (93. Obst. l. 5. C. h. t. (94. Immo vide l. 21. infr. de verb. oblig. (95. l. 64. supr. de jure dot. (96. l. 36. supr. d. t. (97. l. 49. supr. d. tit. (98. l. 41. in fin. supr. d. s. (99. l. 17. in pr. supr. d. t. (100. l. 19. §. 1. supr. de pecul. l. 7. in pr. supr. de jure dot.